DE JUSTITIA
IN PLATONIS CIVITATE EXPOSITA.

DISSERTATIO

QUAM AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

SUMMORUM

IN PHILOSOPHIA HONORUM

RITE CAPESSENDORUM CAUSA

D. XXIV. M. MAJI. A. MDCCCL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS JAHNS

POSNANIENSIS

CONTRA ADVERSARIOS:

G. JENTSCH, CAND. PHIL.
H. FISCHER, CAND. PHIL.
G. WAWERDA, STUD PHIL. ET SEM. PHIL. SOD.

VRATISLAVIAE,

TYPIS OFFICINAE ROBERTI LUCAE.

Praefatio.

Justitiae vim et naturam secundum Platonis Civitatem indagaturis nobis primum omnium definiendum videtur, qui sit hujus quaestionis ambitus quaeque ad universi libri argumentum ratio, ne eam post accuratius explicantes aut justo latioribus aut angustioribus circumscribamus terminis. Atque ita incidimus in controversiam illam de operis proposito, quae jam antiquitus orta usque ad nostram aetatem agitata et ne hodie quiedem plane composita est. Plerique enim omnes viri docti, qui quaestionem hanc attigerunt, justitiae explorationem et perfectae civitatis descriptionem, in quibus tota fere disputatio versatur, pro diversis argumentis habentes, diversa Platonem consilia secutum esse adbritati sunt. Sed quum consiliorum diversitatem ab operis artificiosi, quale haud dubie est Platonis Civitas, indole ac natura, quae in consilii unitate et simplicitate posita est, plane alienam esse probe scirent, et duo illa argumenta cognatione certe aliqua conjuncta esse viderent, unitatem operi ita aliquatenus vindicaturos sese existimarunt, si alteram quaestionem primariam, alteram secundariam primariaeque subjunctam esse stutuerent.

Alii igitur optimae civitatis adumbrationem praecipuum operis argumentum esse censent, ad quod etiam quaestio de justitia suscepta referenda sit; alii justitiam id potissimum esse putant, de quo Plato disserere instituerit;

quam quo melius illustraret, civitatem perfectam eum informasse arbitrantur.

Illi provocant ad operis inscriptionem et ad Platonis ipsius auctoritatem, qui in Timaei initio Civitatem ita recenseat, ut civilia tantum instituta commemoret; tum Legg. l. V. p. 739. B. eam, in qua omnium rerum communio sit, civitatem primariam dicat; illam vero, quae in ipsis Legibus condatur, secundariam. Deinde hoc praecipue animadverti volunt, philosophum de civilibus rebus multo copiosius et uberius quam de justitia disputasse, id quod haudquaquam fecisset, nisi optimam civitatis formam praecipue describere voluisset.

Ji vero, qui contrariam defendunt sententiam, argumenta afferunt haec: Socrates Platonicus, inquiunt, totum sermonem a justitiae indagatione exorditur eumque concludit ita, ut de ejus mercede exponat et ad eam summo studio colendam adhortetur; quin etiam ubi in sermonis progressu a justitiae quaestione evagatus ad eam revertitur, ad propositum se redire dicit. Civitatem vero ajunt non aliam ob caussam fingi, nisi ut justitia, quae in singulari homine minus sit conspicua, majore et clariore illustretur imagine, id quod Socrates disertis verbis profiteatur lib. II. p. 368. C.

Has utriusque generis rationes, quibus jam olim utraque pars suam quaeque causam tueri studuit*), gravissima esse, nemo est, quin concedat, sive huic sive illi sententiae calculum suum adjiciat. Inde etiam factum est, ut omni tempore exstiterint, qui civitati et qui justitiae principatum tribuerent.

Magis vero invaluit haec posterior sententia, postquam Carolus Morgensternius rem diligentiori examini subjecit. Vir enim hic doctus, qui in „tribus commentationibus de Platonis Republica" scriptis praeter alia etiam

*) cfr. Procli comment. εἰς τὴν Πολιτείαν p. 349. sq. ed. Basil. prim.

de ejus proposito exponit, complures in ea quaestiones agitari statuit, quarum una sit primaria, ea scilicet, quae de justitiae natura suscepta sit, ceterae vero secundariae, quae, praeterquam quod ad illam absolvendam aliquid momenti habuerint, etiam per se Platoni dignae visae sint uberiore explicatione. Et inter has quidem quaestiones secundarias eam, quae de optima civitatis forma instituatur, primum tenere locum*). Sententiam hanc, quae totius fere disputationis summam continet, cum industriu sane et ingenii acumine explicat; sed quum, ut alia omittam**), diversas, quas statuit, quaestiones, laxo tantum copulaverit vinculo, neque ita rem tractaverit, ut universa operis ratio in uno videri possit conspectu, aliis apertam ad quaestionem hanc tentandam reliquit viam.

Aliam paullo is vir ingeniosus, qui post Morgensternium eam in accuratiorem vocavit disceptationem, Schleiermacherns iniit rationem in prooemio ad Civitatis Platonis vernaculam interpretationem. Eatenus quidem cum Morgensternio consentit, quatenus totius sermonis descriptionem persequens per eam justitae quaestionem dominari ostendit, et omnia, quae non continuo ad hanc ipsam referuntur, pro digressione habet; quum vero eas rationes, quibus contraria sustentetur sententia, ideo haud quaquam leves esse censeat, quum quaestiones dialecticae quae in opere reperiantur, non arctius cum justitiae quaestione quam cum optimae civitatis descriptione cohaereant, inconcinnitatem hanc non aliter nisi ex ratione, qua civitas cum praecedentibus et sequentibus libris conjuncta sit, explicandam esse censet. Socratem enim Platonicum esse quasi Janum aliquem geminum, qui in opere ipso ad praecedentes sermones respiciat et eas, quas in iis

*) Cfr. Morgenst. de Plat. Republ. comment. p. sq.

**) De quibus vide, quae Stallbaumius monuit in dissertatione de Civitatis Plat. argumento et consilio scripta atque ejusdem operis editioni praemissa p. XXII.

quaestiones ethicas ac dialecticas instituerit, hic excipiat et absolvat; in Timaeo vero ad civilia opera condenda prospiciat ideoque ea tantum ex illo repetat, quae de civilibus rebus disputata fuerint, ita ut Civitas illorum agmem claudat, et horum seriem exordiatur. Huic posteriori rationi etiam tribuendum esse existimat, quod Plato opus civitatis nomine inscripserit et fusius de civitate disseruerit, quam justitiae quaestio requirat*).

Eam igitur, quam alii adhuc in opere ipso parum prospere quaesiverant, idoneam compositionis ejus rationem, Schleiermacherus reperire sibi videtur in totius philosophiae Platonicae systemate omniumque dialogorum nexu, et qui cum ipso praecedentium dialogorum instar Civitatem nonnisi totius sermonum seriei membrum esse sibi persuadet, eum facile habebit assentientem. At aliam Civitatis, quam praecedentium dialogorum indolem esse arbitramur. Nam quum in plerisque eorum, quod sit primarium propositum, difficile sit dijudicatu propter variorum argumentorum implicationem; tum multi, quamvis a certa propositione principium ducant, concludentur ei non respondentes, quasi philosophus producendi conutu contentus sit et dialectico motu, in quam rem propositam, inductiva disserendi ratione assumpta, redegit. Ita sane facile fit, ut quae in aliis sermonibus tacta tantum vel inchoata sint, in aliis copiosius exponantur et ad finem perducantur. Quod vero ad nostrum opus attinet, jam illud, quod Plato id exorditur a justitiae notione indaganda et finit ejus efficacia et mercede exponenda, quod denique cum hac ipsa quaestione omnes res, quae in disceptationem vocantur, omnium consensu cognatae sunt, jam hoc indicare videtur, ipsum esse opus secundum artis leges compositum in sese absolutum et in multis variisque argumentis unum et simplex. Propterea quamvis de ejus cum aliis operibus conjunctione, cui Schleiermacherus laetissimam affundit lucem, dubitari nequeat, consilium ex ipsius indole ac natura explicare praestat.

*) Cfr. Schleierm. l. l. p. 66.

Atque haec fait causa, cur etiam Stallbaumius in iis, quae Schleiermacherus de Civitatis propositione exposuit, non acquieverit. Primus vir hic egregius observavit, perfectae civitatis adumbrationi optimi hominis descriptionem oppositam esse, non justitiae quaestionem, quandoquidem hujus notio non minus ad illius formam, quam ad hujus mores illustrandos adhibeatur. Ex his tribus quaestionibus separatim nullam pro primaria esse habendam, sed omnes ad unum referendas argumentum, quod ultra positum pro more suo callidissima arte occultans philosophus tamquam ultimum et extremum in hoc opere scribendo secutus sit. „Voluisse enim Platonem ait proponere imaginem perfectae et consummutae virtutis, qualis in omni hominum vita, tum privata tum publica et communi cerni deberet, ejusque ostendere vim et praestantiam; simulque perniciosas sophistarum et civilium virorum opiniones refutare, qui quum omnis virtutis tum domesticae tum publicae rationes perverterent, cujusvis turpitudinis patroni exstitissent. — Quia vero id egerit, ut tum optimi hominis tum perfectae civitatis speciem quandam proponeret, qualis mente tantum et cogitatione fingi posset, plane fuisse necessarium, ut etiam perfectae et consummatae virtutis notionem investigaret et exquireret. — Quocirca tum omnis virtutis tum maxime justitiae vim et naturam inquirere eum coepisse, ut quam nulla alia re nisi universae virtutis absolutione et consummatione contineri arbitraretur“*).

Haec fere summa est eorum, quae Stallbaumius ingeniose et eleganter de summo operis fine et consilio disputavit. Ac multo profecto rectius viris supra commemoratis operis partes disposnit, et eas, quae inter ipsas intercedunt, rationes, constituit; quocirca etiam, quod apud illos desideramus, earum aptam compositionem et universi

*) Haec omnia ipsius Stallbaum. verba sunt. Vide l. l. p. XXV. 599. p. XL. sq. al.

argumenti unitatem demonstrare ei contigit. At de eo, in quo Platonem unitatem hanc et consilium posuisse, et de ratione, quam eum ad illud assequendum iniisse statuit, haud facile, arbitramur, quemquam habebit sibi consentientem. Quae enim causa fuit, cur philosophus consilium suum callidissima arte et tanta industria occultaret, ut consulto ab initio usque ad finem aliud profiteretur, aliud ageret? Nam quod Stallbaumius ad ejus morem ita disserendi provocat, nihil efficit, quandoquidem ejusmodi mos quum omnino in dubium vocari, tum multo minus in libris de civitate scriptis locum hubere potest. Propterea etiam intelligi nequit, cur Plato, si universae virtutis imaginem proponere voluit, non ab hab ipsa potius quam ab justitia indaganda proficisci maluerit, cur ubi quattuor cardinales definit virtutes, quae universam virtutem efficiunt, in justitiae explicatione maximam partem versetur, et de ceteris tribus virtutibus tantum solum exponat, quantum ad illam illustrandam est necessarium*). Atque dubitatio haec ne tum quidem omnis animo eximitur, quum justitiam omnium virtutum absolutione contineri, quinetiam ab universa virtute non differre sumimus. Ceterum quamvis justitia revera ceterarum virtutum consummatione non solum contineatur, sed etiam eam contineat, ideo non plane idem est atque universa virtus sed aliqua tantum ex parte. Sed hac de re infra accuratius explicabimus.

Quum igitur sententiae de civitatis Platonicae consilio a viris doctis adhuc propositae non plane ita comparatae esse videantur, ut in iis acquiescere possimus, an aliquid ad rem explanandam conferre possimus, videamus.

Omnes rationes, quae huc pertinent, sua quaeque gravitate et dignitate ponderandae sunt; quocirca primum

---

*) Civ. l. IV. p. 430. C.

omnium eae considerandae erunt, quae ipsius operis descriptione suppedidantur, et quaerendum quidem erit, quid Socrates Platonicus indagare sibi proponat; deinde, quid praestet et quomodo externa illa argumenta, operis inscriptio atque Timaei et Legum loci, quibus ipsius consilium indicari videtur, accipienda et intelligenda sint.

Quod ad primam quaestionem attinet, Socrates, qui libro primo Thrasymacho justitiam meliorem esse injustitia ostenderat, libro secundo p. 368. B. sq. Glouconi et Adimanto rogantibus sese etiam, quid per se ipsa quaeque sit quidque prosit demonstraturum esse promittit. Atque revera huic promisso stat, quandoquidem usque ad librum octavum justitiae, in octavo et noni priore parte injustitiae naturam explanat, et in noni posteriore parte et decimo justitiam ad vitam beandam injustitia efficaciorem esse docet. Id certe non dubium est, eum usque ad librum V. justitiam quaerere, quum etiam ea, in qua civitatem informat ejusque custodes educat, disputatio huic ipsi consilio inserviat. Eandem etiam in sequente sermonis parte (lib. V—VIII.) sese explorare dicit, in qua, quum de rebus disserat, quae cum ipsa non cohaereant, plerique viri docti eum a proposito aberrasse et totam omnino disputationem alio consilio instituisse arbitrantur, praesertim quum etiam in civitate condenda et custodibus educandis fusius disputet, quam justitiae exigat quaestio. Jam utraque pars, et ea, quae usque ad lib. V., et ea quae usque ad lib. VIII. pertinet, optimi hominis perfectaeque civitatis descriptionem continet, et hoc tantum inter eas discrimen intercedit, quod Socrates duo haec argumenta in priore nonnisi justitiae quaestioni substernere, in posteriore autem ipsorum causa disserendo persequi videtur. Itaque quaeritur, qua ratione tres hae quaestiones inter sese conjunctae sint.

---

*) Cfr. lib. V. p. 472. B. lib. VI. init.

Cur Plato quaestioni de justitia et singulorum hominum moribus susceptae perfectae civitatis descriptionem adjunxerit, complures afferri possunt causae. Fecit hoc, dixerit quispiam, ideo, quia in Graeciae civitatibus vitam publicam a privata sejunctam non reperiebat; quia celeberrimi Graeciae legumlatores, veluti Zaleucus, Charondas, Lycurgus, Solon, alii, civilia instituta juventutis ad virtutem educatione fulcienda et adjuvanda esse praescribebant; quia aliorum graecorum philosophorum imprimis Pythagoreorum auctoritate ducebatur, qui politicam doctrinam ab ethica non separabant; quia sophistis occurrere volebat, qui illo tempore virtutis non solum domesticae sed etiam civilis tradendae artem profitentes, quum omnem virtutem et veritatem everterent, etiam civitatum salutem in periculum adducebant, alias*).

Sed quamvis rationes hae externae haud levis sint momenti et dignissimae, quas philosophus noster respiceret, longe tamen gravissimam ipsius justitiae indolem fuisse puto, quippe quae ita esset comparata, ut illam conjunctionem requireret.

Quum enim justitiae notionem explicare vellet, primo eum sensum hominum communem de ea consulere et definitionem inde mutuatam ad eam, quam animo informaverat, verae honestatis normam adaptare et constituere consentaneum erat. Videbat vero, justitiam vulgo poni in mutuo quodam hominum commercio, in agendi quadam vivendique ratione, in qua quisque suum cuique tribuat, et suum a quoque accipiat, officia quaedem erga alios praestet et jura quaedam ab iis sibi vindicet. Quid autem esset hoc suum cuique tribuere, quid esset officium et jus, varie explicabatur; ipse vero quaerendum censet in cujusque natura ac indole, cui convenienter vivere

---

*) Stallbaum. l. l. p. XLII. sqq.

et agere debeat. Ejusmodi vivendi rationem et jurum officiorumque vicissitudinem reperit nonnisi in societate humana, quae quo melius sit ordinata, eo magis justitia omnique honestate gaudeat. Ita jam minime mirum accidit, quod Plato civitatem condidit quam perfectissimam ejusque naturam in disceptationem vocavit, siquidem plenam ejus imaginem proponere voluit. Quocirca quamvis animus humanus omnis honestatis et virtutis sit fons, civitatis descriptio non levioris est momenti; neque tamen eorum sententia probabilis est, qui singularis hominis morum illustrationem secundum tenere locum putant. Duo enim haec argumenta exteriore tantum ambitu inter sese differunt, interiore vero indole sibi sunt paria, quum eadem nitantur harmonia morali, quae est ipsa justitia. Nam Plato, ut civitatis ordines cum animi humani facultatibus et totam civitatem cum hoc ipso comparat, ita justitiam, quam prius in civitate reperit, ut omnis societatis ordinandae vim ad animum contemperandum adhibet et in ejus partium *οἰκειοπραγία* ponit, quamvis earum actiones ab affectionibus, in quibus ceteras virtutes ponit, non sint diversae*). Reputavit haud dubie secum philosophus, omnem honestatem consistere et in cogitandi sentiendique ratione et in externa actione atque in earum convenientia; jam quum justitiam duabus imaginibus plane sibi similibus monstret, qualis scilicet in civitate et humano animo conspicitur, re vera totum ejus efficaciae spatium emensus esse videtur. Si quis offendit, quod vitam privatam, quam nos dicimus, neglexerit et consulto omiserit, neque ultra civitatem progressus eam finxerit societatem, quae omnes comprehenderet gentes, admonendus est, eum in utraque re secutum esse Graecorum ingenium et civiles rationes, qui vitam privatam a publica non sejungebant, neque ad eum humanitatis gradum pro-

---

*) Vide infra p. 71.

cesserant, ut gentes barbaras, quas contemnebant, ad civilem societatem adsciscerent, quum ne ipsi quidem cuncti ea conjuncti essent.

Explicuimus, quam brevissime fieri potuit, qui factum sit, ut Plato in justitia indaganda ad civitatis et hominis perfecti descriptionem devenerit; unde etiam duo haec argumenta nonnisi ad illam referri apparet. Sed quamvis haec ita sese habere sine dubio qnisque sibi persuadeat propter quaestionem harum necessitudinem, nihilominus tamen ratione et via, quam ingressus philosophus rem tractat, facile in aliam sententiam deduci potest. Nam quod justitiae naturam et efficicentiam demonstraturus primum omnium ejus notionem definire parat et quum consilium hoc in libro primo non assecutus sit, in sequentibus prius civitatem condit et homines educat,*) unde demum illam depromat, hoc quidem consentaneum est. Minus vero consentaneum esse videtur, eum justitiae exquirendae causa de hac ipsa civitate condenda et hominibus educandis disputationem tam uberem, et justitiae definitione jam proposita etiam uberiorem de mulierum liberumque communione, de philosophis erudiendis instituere. Quum nihilominus hac in parte pariter atque in illa non solum justitiam sese explorare dicat, sed etiam revera ejus normam sequatur, quid aliud relinquitur, nisi ut sumamus, eum justitiae naturam non modo lineamentis ad intelligendum necessariis circumscribere, sed etiam, qualis in perfecta civitate et homine appareret, vividis coloribus depictam et tamquam carne et sanguine praeditam legentium oculis intuendam proponere voluisse.

Et quamquam de multis rebus multa exposuit, per omnia tamen justitiae idea dominatur, quam in iis tam-

---

*) Plato civiles rationes et singulorum hominum mores tam arcte conjungit et implicat, ut quo quid praecipue pertineat, saepe difficile sit dijudicatu. Ita que custodum educatio vulgaris et dialectica ad utrumque pariter refertur argumentum.

quam in materia informavit adeo, ut plane idem in opere hoc fecisse videatur, quod philosophis et legumlatoribus faciendum esse praecipit, qui quum ad summum cognitionis fastigium ascenderint, ad civitatis administrationem desendere, et, quam ibi justitiae summique boni ideam conspexerint civium moribus ingenerare debeant. Atque ex hac ipsa justi ideae dominatione explicandum esse videtur, cur quum tota civitas sublimior sit, quam quae unquam exsistere possit, tum nonnulla potissimum ejus instituta ab omnium aevorum moribus et usu abhorreant. Hactenus de justitiae quaestione et ejus ad maximam operis partem ratione.

Ea absoluta, Plato ex proposito etiam injustitiam, cujus notitiam paucis aperuerat in libr. quarto, accuratius adumbrat in libro octavo et noni parte priore, ubi scicilet describendo deinceps persequitur omnes vitiosas civitatis formas et homines moribus iis similes, ad quae injustitia eandem habet rationem, quam justitia ad perfectum civitatis hominisque statum. Tyrannica denique civitate et tyrannico animo depicto, sub operis finem justitiam comparans cum injustitia et, qui ex utraque fructus ad vitam redundent, considerans illam majorem hac hominibus felicitatem parare ostendit, tum per se ipsam, tum iis, quae eam ante et post mortem sequantur, bonis; quocirca in ipsa operis calce ipsam cum sapientia summo studio colendum esse adhortatar.

Atque ita quum disquisitio in Politiae librorum initio suscepta per varias eorum partes usque ad finem perducatur et absolvatur, opus ipsum in omni argumenti diversitate et implicatione est simplex et unum et omnibus numeris perfectum. Quod igitur consilium Plato in eo scribendo secutus sit, apertum est; voluit enim praecipue omnis vitae justae et publicae et privatae*) naturam et praestantiam felicitatemque

*) Vit p rivata hic intelligenda est ea, quae in interna sentiendi cogitandique ratione versatur.

declarare; tum etiam injustae vitae turpitudinem et miseriam notare.

Operis consilio ex ipsius descriptione explicato, facilius erit judicatu, quae externorum ejus indiciorum sit ratio. Primum quod ad librorum inscriptionem πολιτεία attinet, eam solam genuinam et, ut de πολιτεῖαι titulo olim frequentato sed manifesto falso taceam, quod nonnulli codices additum habent ἢ περὶ δικαίου, id non ab ipso Platone profectum esse, inter viros doctos nunc satis constat*). Et non in juria quidem inscriptionem hanc fecit. Nam, ut jam supra commemoratum est, in civitate condenda justitiae notionem tamquam regulam sequitur, et, quum justitia sit virtus praecipue civilis, eam in singulari homine aliter demonstrare nequit, nisi ut eum ad civitatis exemplum conformet et ipsum tamquam civitatem parvam faciat. Quapropter et ipse de animi humani statu loquens saepius commemorat τὴν ἐν αὑτῷ πολιτείαν seu τὴν ἑαυτοῦ πόλιν, τὴν ἐν ἡμῖν πολιτείαν seu τὴν ἡμῶν πόλιν, ut Lib. IX. p. 591. E. p. 592. A. X. p. 608. B. al. (Die Verfassung im Innern, Gemüthsverfassung**); ideo popularem virum vocat τὸν δημοκρατούμενον ἐν ἑαυτῷ Lib. IX. p. 574. E., virum tyrannicum τὸν κακῶς ἐν ἑαυτῷ πολιτευόμενον cet. Itaque civitatis justitia est ejusdem πολιτιεία (Verfassung), animi πολιτεία est ejus justitia; ut igitur omnino πολιτεία a justitia non differat, utrumque totum operis argumentum complectatur. Quod quum ita sit, sane quidem etiam opus insignire potuit titulo: περὶ δικαίου, vel ad πολιτεία uddere ἢ περὶ δικαίου; sed quum πολιτεία inscripserit, nihil amplius desideramus, et facile supersedere possumus quaestione, cur hanc potius quam illam facere maluerit inscriptionem. Fortasse enim eam fecit ad arbitrium, aut si aliqua, ea levi ductus ratione, quam jam

*) V. Plat. opera ed. C. E. C. Schneider. Vol. I. p. 1. sqq.

**) V. Schneider. l. l. Vol. I. praef. p. XI. seq. Stallbaum. l. l. p. LVIII.

Proclus attulit*), quia scilicet πολιτεία rem notiorem quam δικαιοσύνη designaret. Hanc ob causam ex indice haudquaquam colligi potest, quod nonnulli colligi voluerunt, perfectae civitatis descriptionem primum, justitiae vero quaestionem secundum obtinere locum, neque opus est, ut cum Schleiermachero ab ea specie, quam opus nostrum in posteriorum disputationum locis praebet, originem ejus ducamus**). Alia enim paulo horum est ratio.

Quod Socrates Platonicus in Timaei initio pridianum sermonem recensens, ceteris rebus omissis, ea tantum, quae de optimo civitatis statu disputaverat, commemorat, quod omnino praeter consuetudinem recensionem hanc instituit, hoc per se quidem mirum videtur, sed ex Politiae et sequentium disputationum politicarum comparatione facile est intellectu. Eam enim civitatem, ad quam informandam in Politia a justitiae quaestione progressus est Socrates, usquam in terris exstare propter ejus praestantiam identidem negat; et in Timaeo quoque comparat eam cum animali, quod pulcherrimum quidem sit, sed pictum tantummodo seu torpens omnique motu carens***); neque tamen eam pro vano desiderio sese effinxisse dicit, sed pro veritate, difficilem quidem factu, sed possibilem aliqua ratione†). Quare nihil aliud restat, quam ut quomodo in hominum vitam et usum traducatur et traducta efficacem sese praebeat, demonstretur; atque munus hoc imponit viris ei paribus Critiae, Timaeo, Hermocrati, philosophis videlicet in civilibus quoque rebus versatis. Quod si Socrates, priusquam hi disputationes suas suscipiunt, ea, quae de civitate pridie exposuerat, in compendium redigit et repetit, quid aliud sibi velle potest, nisi ut hanc ipsam iis tanquam exemplar proponat, quod inter disserendum spectent, et quod omnino viri civiles etiam

*) Procl. l. l. p. 350.

**) Schleiermach. l. l. p. 69.

***) Tim. p. 19. B.

†) Civit. VII. p. 540. D.

in rebus publicis administrandis, quantum fieri possit, sequantur?

Sentiam hanc revera comprobrare videntur omnia, quae Plato serius de rebus civilibus scripsit. Veterum enim Atheniensium civitas, quam Critias in Timaeo et sermone eodem nomine inscripto delineat, nihil fere differt ab ea, quae in Politiae libris informatur, nisi quod in omnis civitatis, quae est, necessarias conditiones naturales introducta est, in tempus et locum certum, ipsas Athenas; sed quia utriusque praesentia ei non convenit, in tenebrosam eam relegat antiquitatem, in qua etiam locus terrae motu et inundatione nondum devastatus consummatae virtutí colendae fuerit aptior. Etiam ea, quae in legum libris condita est civitas, honestate nititur, sed eatenus tantum, quatenus populi ingenium, terrae situs, aliae naturae conditiones permittunt. Et hanc ob causam illam civitatem, in qua omnes res communes sint, virtute primam dicit Plato, hanc vero secundam. Etiam evidentius hoc fore putamus, si philosophus Hermocratem, quem promisit, scripsisset, neque Critiam mancum reliquisset. — Quod vero interlocutores, quibus Socrates in Timaeo sermonem tradit, rem a summo principio repetituri ita ejus partes inter sese distribuunt, ut Tímaeus primo de mundi generatione exponat eamque explicando usque ad humani generis creationem perducat; disputatio haec sane Civitatis libris apte sese applicat et ad philosophiam Platonicam omnibus ex partibus perficiendam prorsus est necessaria. Nam ut in Civitate a singulorum hominum virtute, de qua jam in praecedentibus sermonibus disquisiverat, illastranda ad civitatem informandam progreditur, ita in Timaeo ad universam rerum naturam contemplandam procedit, et in ea tamquam civitate et homine mundano pariter atque in vita privata et publica boni pulchrique ideam regnare ostendit*). Sed

*) Stallbaum. l. l. p. LIX. Ast. de vita et scriptis Platonis p. 368.

pro duorum horum operum vinculo recensio, de qua sermo est, haberi nequit, quia disputatio de universa rerum natura instituta a Socratis consilio aliena est, et narrationem de fabulosa Atheniensium civitate exhiberi coeptam et interpositam sequitur, ita ut cum illa fere non aliter nisi per eos, qui eam excipiunt vel excipere debebant, sermones politicos sit conjuncta. — Quum igitur Plato studiorum progressu in posterioribus scriptis ad res civiles contemplandas delatus esset, quumque quae in Politia de civitate exposuerat, iis fundamenti loco posita esse vellet, consentaneum erat, ut ea legentibus in memoriam revocaret; ea vero, quae de justitiae vi ac natura, de optima hominis conditione al. explicuerat, non solum commode omittere potuit, sed etiam debuit, nisi otiosae repetitionis crimen subire voluit.

Itaque neque ea, quae in Timaeo et Legibus Civitatis fit, commemoratione prohibemur, quominus in sententia, quam ipsius ratione consideranda supra stabilivimus, perseveremus, justitiae quaestionem in ea esse primariam, ad quam cetera omnia referantur. Hoc etiam evidentius fore speramus ex diligentiore ejus consideratione, ad quam nunc accedimus.

Circumspicientibus primo nobis, quomodo quaestio suscepta optime absolvi possit, declinandum paulo videtur ab ea, quam ipse Plato ingressus est, via. Nam hic quidem in Politiae libris speciem tantum liberi colloquii retinens nihil non suo posuit loco et ipse optimo jure eam, quam iniit rationem, iniisse videri potest. Sed, ut unam rem afferam, quum duo ad justitiam illustrandam adhibeat modos, unum descriptivum seu plasticum, quo primo civitatis hominisque perfecti imaginem informat ad justitiae normam, quam jam habuit menti infixam, alterum demonstrativum, quo deinceps justitiae notionem explicat, qui nos hujus cum descriptione illa comparationem perspicere possimus, nisi ante, quid ipsa sit, cognoverimus? Alia igitur paulo ineunda videtur ratio, neque ta-

men ea, quae internae quaestionis articulationi non conveniat, quae quamquam ex iis, quae de operis consilio exposuimus, jam universe apparet, hic distinctius est designanda.

Socrates Platonicus disquisitionem de justitia suscipit non alio consilio, nisi, ut quomodo vita optime instituenda sit, ostendat*); quare neque quaestioni de summo vitae fine sese subtrahere potest, quippe a quo vitae degendae ratio sit suspensa. Jam eum esse felicitatem, concedit vulgari opinioni et Thrasymacho, sophistarum nationis hic vicario, omnia proprio commodo et utilitate metientium. Quanam vero in re felicitas posita sit, et qua ratione assequenda, magna controversia est. Socrates ejusque amici, Glauco et Adimantus justam vitam ad eam viam munire contendunt, Thrasymachus, ex summa injustitia summam redundare felicitatem. Quocirca certamen harum duarum quaestionum libro primo ortum in sermonis progressu hic illic resuscitatur usque ad finem, ubi summa injustitia perfectae justitiae opposita demonstratur, hanc ad felicitatem comparandam efficaciorem esse illa.

Sed philosophus noster felicitatem non solum ponit in iis, quae ex justitia redundant, sed etiam in justitia ipsa, guippe quae ipsa summum bonum sit et commoda quam plurima paret**); atque infelicitatem non solum in malis ex injustitia fluentibus, sed etiam in injustitia ipsa, quum haec et ipsa sit maximum malum et mala quam plurima gignat. Quod ut probet, justitiae et injustitiae vim naturamque indagare suscipit. Jam utraque ei conspicua est in civitate et in singulari homine, qui quo perfectiores sint, eo magis justitia gaudeant, quo minus perfecti, eo

---

*) Lib. I. p. 352. D. *οὐ γὰρ περὶ ἐπιτυχόντος ὁ λόγος, ἀλλὰ περὶ τοῦ ὅντινα τρόπον χρὴ ζῆν.* Lib. X. fin. al.

**) Lib. II. p. 358. A.

magis injustitia laborent. Perfectam igitur justitiam inventurus perfectam fingit civitatem optimumque hominem; injustitiam vero summam enucleaturus depravatas civitatis formas hominesque iis similes deinceps perlustrat, donec ad pessimam civitatem et hominem perveniat, ita ut illos describens simul justitiam illustret, et hos depingens injustitiam.

Jam quod ad justitiam in perfecta civitate et homine explanandam attinet, quanam in re ipsa et perfectio haec cernatur, non fere aliter ostendere potest, nisi ut ejus notionem inquirat, qualis in civitatis et animi humani statu bono conspicua sit. Hic apparet, justitiam niti ceteris virtutibus, has vero accommodatas esse ad suas facultates naturales, quae quum in aliis hominibus aliae sint, virtutes inter sese diversas existant, necesse est. Sic nascuntur in civitate ordines, qui singuli homines comprehendunt facultatibus et virtutibus inter sese pares, ita ut propria quisque instructus sit facultate et virtute. Eadem ratio est singularis hominis, cujus animus pariter atque civitas ex diversis compositus est partibus. Quum vero facultates cunctorum hominum, qui ordines civitatemque constituunt, non aliae esse possint, quam quae reperiuntur in homine omnibus numeris absoluto, civitas perfecta ad absoluti hominis similitudinem conformata sit necesse est. Itaque apud Platonem animi facultates sive partes naturale sunt fundamentum, in quo posita est justitia omnisque perfectio et moralis et civilis. Priusquam vero noster haec in pleniorem diligentioremque disceptationem vocat, removet nonnullas vulgares et sophistarum de justitia sententias, et suae doctrinae moralis rationem indicat. (Lib. I.)

Secundum hunc totius operis conspectum solvendae nobis deinceps videntur quaestiones hae:

I. Nonnullas vulgares sophistarumque sententias de justitia refutat Plato, suamque doctrinae moralis rationem significat.

II. Quae sit perfectae justitiae vis ac natura, qualis in perfecto homine et civitate cernatur et quidem:

A. quae sit justitiae notio

a) in optimo animi humani habitu et

b) in perfecta civitatis forma conspicuae, et

B. quae sit justitiae quaestionis ratio ad optimae civitatis hominisque descriptionem (ad civitatis conditionem, ad custodum educationem vulgarem et dialecticam, ad alia instituta.)

III. Quae sit injustitiae vis ac natura in variis vitiosis civitatis formis et hominibus iis similibus.

IV. Quae sit justitiae et injustitiae ad felicitatem infelicitatemve efficiendam comparatio, quaeritur.

I. Nonnullas vulgares sophistarumque sententias de justitia refutat Plato, et suae doctrinae moralis rationem universe indicat.

Initio libri primi Socrates cum familiaribus quibusdam congressus arripit occasionem cum Cephalo sene de senectute confabulandi sciscitandique ex eo, qui jam in vitae limine stet, utrum haec vitae pars levis an gravis sit. Qui quum respondisset, tranquillam et felicem sibi senectutem esse, quia totam vitam juste transegisset, colloquium in quaestionem de eo, quod justum dicitur, incidit.

Apud omnes interlocutores, qui suam de justitia sententiam qualemcunque in medium afferunt, constat, eam esse virtutem in mutuo hominum commercio conspicuam; sed de ejus notione, sive mente eam non assequentes sive de natura et societate humana prave perverseque sentientes varias falsasque proponunt sententias. Cephalus justitiam ita definit, ut justum esse dicat vera loqui et depositum reddere. Huic simillima est Polemarchi sententia, qui accipit definitionem a Simonide proditam: justum esse unicuique debitum dare, quod ei conveniat, amicis nempe bonum, inimicis malum. Utramque justitiae definitionem Socrates ideo improbat, quod secundum eas

justitia sibi ipsa repugnaret, quandoquidem ita justus alicui nocere, proinde eum detriorem reddere ejusque virtutem labefactare, et quia justitia ad virtutem pertineat, ipsam ejus justitiam imminuere posset. Justitia vero nonnisi id, quod ei par et simile est, bonitatem et justitiam gignere potest, ita ut justus ne inimico quidem nocere possit*).

Maximam vero operam Socrates locat in refellendis placitis de justitia a Thrasymacho prolatis. Sunt haec sophistarum cogitandi rationi et doctrinae maxime consentanea. Nihil enim universi boni et veri, quod esset per se, agnoscentes, summum omnium rerum principium quemvis hominem ejusque jucundam conditionem ponebant cui omnia essent obnoxia. Itaque omnium rerum veritatem et essentiam non in iis ipsis, sed in cujusvis hominis sensu locabant adeo, ut quot sensus, tot cujusque rei veritates essent. Inde ortum celeberrimum illud decretum: *πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπός ἐστιν***) Jam unicuique, inquiunt, licitum est, ut vel cum aliorum detrimento optime sese habere studeat; ut igitur jucunditatem et felicitatem, quae cum sensu suo conjuncta sit, amplificet et stabiliat, reliquorum vero sensus inter sese discordantes sibi conciliet et inservire cogat; id quod optime assequitur arte rhetorica***). Jam inde apparet, eandem subjectivitatem, quae dicitur, etiam in eorum doctrina morali obtinere debuisse. Atque revera ut omnis veritatis nor-

---

*) Plato non amorem et caritatem, ut christiani, sed justitiam tantum inimicis et omnibus omnino hominibus praestandam esse docet. Cfr. W. G. Tennemann. System der Plat. Philos. T. IV. p. 128. Ogienski. Welches ist der Sinn des Plat. *τὰ αὑτοῦ πράττειν*? praef. progr. gymnas. Tremesnensis 1845.

**) Plat. Cratyl. p. 386. A. — *Πρωταγόρας ἔλεγε, — πάντων χρημάτων μέτρον εἶναι ἄνθρωπον, ὡς ἄρα οἷα μὲν ἂν ἐμοὶ φαίνηται τὰ πράγματα εἶναι, τοιαῦτα μὲν ἔστιν ἐμοί, οἷα δ' ἂν σοί, τοιαῦτα δ' αὖ σοί κλτ.*

***) Braniss. Geschichte der Philos. seit Kant. part. p. 146. seq.

mam sensum ponebant, ita praestantiam quamquam et legem moralem per sese esse et ad omnes aequabiliter homines pertinere negantes, vitae in societate humana instituendae regulam cujusvis arbitrium esse existimabant, quod eidem felicitatis appetitui obnoxium cetera arbitria subigere deberet. Atque hoc optime assequi hominem censebant, si aliis natura potentior esset. Hunc societatis statum, in quo potentior propter ipsam potentiam aliis imperaret, hi vero imbecilliores propter ipsam imbecillitatem ei obedirent ejusque commodis servirent, legitimum justumque appellabant. Quibus prorsus consentanea est Thrasymachi justitiae definitio: *φημὶ γὰρ ἐγὼ εἶναι τὸ δίκαιον οὐκ ἄλλο τι, ἢ τὸ τοῦ κρείττονος ξυμφέρον.* Civ. lib. I. p. 338 C. cf. etiam Gorg. p. 339. A.

Jam justitia ita definita Thrasymachi ipsius confessione continet simul injustitiam, quum subjecti quidem homines imperantis, ut qui in civitate civibus potentior sit, utilitatibus servientes ei juste faciant; imperans vero sua commoda curans eaque a subditis cum ipsorum detrimento exigens iis injuriam inferat, ita ut justitia sit proprium damnum et alienum bonum; injustitia vero proprium bonum et alienum malum. Sed hanc ipsam ob causam Thrasymachus injustitiam summis laudibus extollit, sapientiam eam, robus, omnis felicitatis fontem vocat, et ideo justitiae longe praeferendam esse jactat.

Quam perversa sit haec justitiae definitio, Socratem Platonicum non fugit. Sed viam, quam ingressus singulas sophistae sententias refutat, totam emetiri, ad rem nostram necessario non pertinet, quum ille non plenam justitiae notionem explicet, sed totus ad refellendum sophistam attendens eas tantum ejus notas proferat, quae ad refutationem sunt necessariae. Sufficiat igitur, paucis stationem significare, quam tenens Socrates impugnat Thrasymachum. Est ea objectiva, quae dicitur, prorsus sophistae rationi contraria, quippe quae sit subjectiva. Socrates enim ut veritatem ita etiam virtutem et legem

quandam moralem per se exstare statuit, qua mones homines pariter obstringantur. Virtus omnium virtutum vice est ei justitia. Rationem igitur, qua homines societate et communione quadam inter sese conjungantur, non eam esse debere dicit, ut alter ab altero justitiam propriasque utilitates exigens ipse injuste faciat, vel alter alteri juste faciens eique conducens ipse injuriam patiatur, sed eam, ut quisque quemque pro dignitate et natura tractet et in societate humana munere aliquo fungens id apprime explere studeat, neve id nonnisi quaestui habeat. Quod si faciat homo, eum in alios justum esse et salvo commodo proprio eorum commodis consulere. Non felicitatem igitur primo loco cum sophistis habet Plato, sed justitiam, quam demum felicitas sequatur; quibus etiam consentaneum est, ut singularis hominis felicitatem non tollat, sed ita circumscribat, ut societatis felicitas cum ea constare possit. — Ita philosophus impedimenta sibi obstantia removens et rationem suam stabiliens in libro primo munit sibi viam ad accuratiorem indagationem in libris sequentibus de justitia instituendam.

Jis, quae modo dicta sunt, indicatum est simul, quae libri primi ad sequentes sit ratio. Est ille quidem indole praecedentibus ethici argumenti sermonibus simillimus et a ceteris operis nostri libris tam diversus, ut iis nonnisi quaestio de justitia communis esse videatur. Quocirca C. Fr. Hermannus, vir sagacissimus, non injuria contendere videri potest, Platonem librum primum nondum fixa justitiae notione et multo ante et alio plane consilio conscripsisse, eumque integrum sermonem post praefationis loco indagationi de justitia suscepta praeposuisse, quum hanc omnis societatis civilis fundamentum esse jam exploratum haberet.*) Verum enim vero jam hoc ipsum, quod eum idoneum habuit, quem praefationis loco reliquis praemitteret, quodammodo documento esse videtur, utramque partem non interna certe indole quamvis externa specie

*) C. Fr. Hermann. Geschichte und System der Plat. Philos. p. 539.

a sese differre. Quod revera ita sese habere, nonnulli loci arguere videntur, qui in libro primo paucis adumbrantur, in sequentibus fusius retractantur in praegressis vero sermonibus nulli reperiuntur. E. c. lib. I. p. 353. D. Plato virtutis humanae notionem cum animi natura conjungit, qua in disceptationem vocata in lib. IV. demum decernit, qua in re universae virtutis et ejus partium notio, earum unitas et differentia posita sit, id quod in praecedentibus sermonibus facere non potuit. Lib. I. p. 335. E. ibid. 347. C. sapientes necessitate aliqua ad reipublicae gubernacula capessenda adigendos esse dicit, quam sententiam in sequentibus uberius explicat (lib. VII. p. 519. al). In Politico vero p. 276. sub fin. de voluntario regimine loquitur. — Quibus id certe effici videtur, Platonem sive eodem tempore sive ante librum primum conscripserit, non aliter de justitia sensisse, quam quum reliquos scriberet libros.

II. Quae sit perfectae justitiae vis ac natura, qualis in homine et civitate perfecta cernatur et quidem

A. quae sit justitiae notio

a) in optimo animi humani habitu conspicuae, quaeritur.

Plato virtutem humanam definiturus incipit a vitae notione. Omnes enim res ad usum aliquem necessariae secundum nostrum habent opus proprium, quod vel unicae vel certe omnium optime peragere possunt propria praestantia, quam Plato earum virtutem vocat. Eadam est animi ratio. Hujus munus est „curare, consulere, imperare, potissimum vivere.“ Virtutem autem, qua hoc vivendi munus optime expleat animus, justitia est, quae, quum vita omnia animi munera complectatur, omnium virtutum vice non fungi non potest*).

*) Sententia haec non expressa quidem est disertis verbis lib. I. p. 352. E. sqq. nihilominus tamen philosophi animo obversata esse videtur, quum, quid sit animi munus, considerans praecipue vitam, et de ejus virtute quaerens solum justitiam commemorat, qua illud optime peragatur. Quod si statuimus, etiam conclusio illa: Ἡ μὲν ἄρα δικαία ψυχὴ καὶ ὁ

Quod quomodo sese habeat, ita tantum accurate demonstrare potest noster, ut ad animi naturam explandam descendat, quum hic sit vitae principium, quacum justitia et omnis omnino virtus conjuncta est*). Jam animus in corpore demersus non apparet Platoni primitiva sua indole praeditus, quae est constantia et immutabilitas, sed varius et mutabilis, ita tamen, ut corporum qualitate recepta illam non plane amittat. Quatenus igitur animus res aeternas et constantes, ideas, contemplatur, ipse est aeternus et immutabilis, quatenus corporis mutationibus indulget, est mutabilis et caducus. Itaque duas animus facultates habeat necesse est;

1) facultatem cogitandi, qua illud peragat, *τὸ λογιστικόν, φιλόσοφον, φιλομαθές* scil. *ᾧ μανθάνει, ᾧ λογίζεται;*

2) cupiendi facultatem, qua hoc faciat, *τὸ ἄλογον ἀλόγιστον, ἐπιθυμητικόν, φιλοκερδές* cet. scil. *ᾧ ἐρᾷ τε καὶ διψῇ καὶ περὶ τὰς ἄλλας ἐπιθυμίας ἐπτόηται.*

Hae animi facultates, rationalis et concupiscibilis, plane sibi contrariae inter sese pagnarent, nisi tertia exstaret, qua ipsae copulantur. Facultas haec est,

3) ira (*ὁ θυμός, τὸ θυμοειδές, φιλόνεικον, φιλότιμον*), quae mortalis quidem natura est, sed a cupiditatibus diversa, quum has aversetur, ad divina tendat et ad rationis accedat similitudinem. Has tres animi facultates Plato etiam ejus partes seu genera vocat (*μέρη, γένη*).

Ut totas animus munus habet a natura sibi assignatum, quod Plato vitae nomine complectitur, ita etiam unicuique ejus parti opus est attributum, quod ejus naturae maxime

---

δίκαιος ἀνὴρ εὖ βιώσεται, quam Stallbaum. a. h. l. ex ambiguo duci existimat, justa erit. Ceterum in ejusmodi rebus non magnopere haerendum et magis quid philosophus dixerit vel dicere voluerit, quam quibus conclusionibus hoc effecerit considerandum est. 2) H. Ritter. Gesch. der Philos. T. II. p. 420.

*) Civ. lib. IV. p. 439. D. lib. IX. p. 589. D. Polit. p. 309. C. Tim. p. 72. D.

conveniens est. Rationis igitur opus est, toti animo imperare et consulere; irae, obedienter huic auxiliari et cupiditates impugnare; concupiscibilis denique partis, utrique se subjicere et obtemperare.

Ut vero quaeque pars opus suum recte peragere possit, propria instructa est virtute; mens sapientia, ira fortitudine, concupiscibile temperantia, quae quamvis etiam ad superiora genera pertineat, id tamen praestat generi infimo, quod illis sapientia et fortitudo. Si vero omnes facultates sua virtute praeditae suum quaeque explet munus, fieri non potest, quin totus animus suum agat. Atque in hac omnium partium totiusque animi *οἰκειοπραγίᾳ* cernitur justitia. Sapiens igitur homo dicitur, quatenus mens regit animum eique consulit; quatenus ira mentis consulta exsequitur eique contra libidines auxiliatur, fortis; quatenus libidines in eo sibi patiuntur imperari, temperans; justus denique appellatur homo, quatenus singula animi genera suum quodque peragunt opus neque aliena curant*).

Haec animi habitudo, in qua quaeque ejus pars in sua collocata sede, sua virtute instructa, suo fungitur munere, et ut hoc optime efficere possit neve ceteras partes turbet, alienis rebus non implicatur, est tamquam primaria justitiae species et norma, ad quam omnia fere, quae justa appellantur, constituuntur atque diriguntur. Homo igitur, qui justus fieri et factus manere vult, vitam ita instituere debet, ut habitudinem illam in sese efficiat et effectam conservet. Atque hanc occupationem circa animum et semet ipsum versantem praecipue intelligi vult Plato, quum justitiam definit formula: *τὰ αὑτοῦ πράττειν*. Apparet hoc potissimum ex insigni loco Lib. IV. p. 443. C. sq., quem hic exscribere juvat. Adumbrata paucis ea justitiae specie, quam in externa tantum opificum *οἰκειοπραγίᾳ* cernit quamque verae justitiae simulacrum quod-

*) Lib. IV. p. 441. D. seqq.

dam (*εἴδωλόν τι τῆς δικαιοσύνης*) appellat, hancce ita describere pergit: „Revera autem tale quidem aliquid, ut videtur, justitia erat, sed non circa exteriorem suarum partium actionem, sed circa interiorem, vere circa semet ipsum et sua versantem ita, ut quis non permittat quidquam ex suis aliena agere, neve animi genera multa inter sese tractare, sed ut, quum revera propria recte digesserit, et sui ipse factus sit dominus et sese exornaverit et amicus sibi ipse effectus sit et tria illa contemperaverit tamquam tres harmoniae terminos, summum et imum et medium et si quae alia media sint, haec omnia nexerit et prorsus unus effectus sit ex multis, temperans atque compositus, ita demum agat, si quid agat, sive circa pecunias acquirendas seu corporis cultum, sive etiam circa civilia aut privata commercia, in his omnibus actionem illam justam et honestam existimans et appellans, quae habitum hunc servet et ad efficiendum eum conferat, et sapientiam actioni huic praesidentem scientiam; injustam autem actionem, quae illum dissolvat, et insipientiam huic praesidentem opinionem“.

Ita justitia definita, apparet, quomodo formula: *τὰ αὑτοῦ πράττειν* proprie sit accipienda, quidque veritatis insit vulgaribus justitiae definitionibus: *ἃ ἂν λάβῃ τις, τὸ ὀφειλόμενον, τὸ προσῆκον ἀποδιδόναι*, suum cuique“. Hoc „suum cuique“ mutat Plato in „suum sibi ipsi“, non ita quidem, ut illud tollat*), sed ita ut hoc primo loco ponat et exterius hominum commercium recte instituendum ab interiore animi commercio recte jam instituto su-

---

*) Hoc enim jam ideo facere nequit, quia ad exterioris actionis modum, qui vulgaribus justitiae definitionibus designatur, interioris actionis rationem, in qua veram justitiam cerni vult, constituit. Vide supra p. 17. Brandis. Geschichte der Griechisch-Röm. Philos. T. II. p. 503. Obgleich jedoch die übliche Erklärung verworfen wird, sie (sc. die Gerechtigkeit) bestehe darin, das Seinige zu thun und jeglichem das ihm Schuldige zu geben, so veranlaßt diese ihn jedoch die der darin ausgesprochenen äußerlichen Handlungsweise entsprechende innere Bestimmtheit zu suchen (nisi quod, ut jam

spendat, ut omnino ab homine postulet, ut in se ipso et in se ipsum justus sit, si in alios justus esse velit, et priusquam agat, honeste cogitare sentireque díscat.

Quod quum ita sit, secundum eum homo, qui omnes animi partes suo quamque loco, et ita omnino constituerit, ut cujusque naturae par sit, qui igitur cunctas ad concentum contemperaverit et tamquam lege naturali obstrinxerit, etiam in societate humana ea faciet, quae proba et legitima sunt, et ea vitabit, quae iis sunt contraria. Quapropter e. c. „depositum acceptum reddet, a sacrilegiis, furtis, proditionibus tam privatim adversus sodales, quam publice adversus rempublicam abstinebit; pius erga parentes, quin etiam erga deos erit". Atque horum omnium causam hanc esse dicit Plato, „quod quidquid in homine ita comparato sit, suum opus exsequatur sive imperando, sive parendo."

Omnes hae actiones exteriores justae dici possunt tum, quia justi sunt hominis et tamquam internae ejus justitiae speciem prae se ferunt, quippe quum justus juste tantum facere possit, tum, quia ad externas rationes,

---

monitum est, definitiones has improbat non, quo prorsus falsae sint, sed ideo, quod rem non exhauriant). Hoc ipse Plato significat lib. IV. p. 443. C., ubi verba: τὸ δέ γε ἦν ἄρα, δι' ὃ καὶ ὠφελεῖ, εἴδωλόν τι τῆς δικαιοσύνης, quum hic de justitiae notione tantum disquiratur, nonnisi ad eam utilitatem, quae ex simulucro illo ad inveniendam eam redundet, cum Astio referre possumus. Quare vir hic doctus in sec. pro ὠφελεῖ libris invitis scribit ὠφέλει, quod etiam in tert. in nota commendat, quamquam ὠφελεῖ in text. recipit; atque hoc ipsum ὠφέλει etiam Stallbaumio per se melius esse videtur, quamquam non necessarium et propter libros rejiciendum sit. Mihi vero ὠφελεῖ non modo tolerabile, sed etiam solum aptum videtur. Nam praesenti tantum tempore Socrates dicere potest simulacrum illud ad justitiae naturam perscrutandam prodesse, quo scilicet revera eam in civitate et animo humano quaerit et ad simulacri illius similitudinem constituit (Lib. IV. p. 427 C. — fin.), quum ante justitiae quidem in vestigandae causa civitatem condat, sed, qua in re ipsa posita sit, non dicat.

quibus homines inter sese conjuncti sunt, efficiendas et conservandas conferant. In hanc justitiae speciem cadunt vulgares justitiae definitiones et eae, quas ipse Plato in praecedentibus sermonibus passim sparsit; e. c. Gorg. p. 507. B. *καὶ μὴν περὶ μὲν ἀνθρώπους τὰ προσήκοντα πράττων δίκαι' ἂν πράττοι, περὶ δὲ θεοὺς ὅσια;* mox *τὸν δὲ δίκαια καὶ καὶ ὅσια πράττοντα ἀνάγκη δίκαιον καὶ ὅσιον εἶναι.* — Quin etiam pietatem erga deos, quam l. l. a justitia distinguit, in universum justitiae adnumerat. E. g. Civ. lib. IV. p. 443. A. *Μοιχεῖαι μὴν καὶ γονέων ἀμέλειαι καὶ θεῶν ἀθεραπευσίαι παντὶ ἄλλῳ μᾶλλον, ἢ τῷ τοιούτῳ* (sc. *τῷ δικαίῳ*) *προσήκουσι.* — Euthyph. p. 11. E. *ἰδὲ γάρ, εἰ οὐκ ἀναγκαῖόν σοι δοκεῖ δίκαιον εἶναι πᾶν τὸ ὅσιον*, et p. 12. E. *τοῦτο τοίνυν ἔμοιγε δοκεῖ — τὸ μέρος τοῦ δικαίου εἶναι εὐσεβές τε καὶ ὅσιον, τὸ περὶ τὴν τῶν θεῶν θεραπείαν κτλ* *).

Verum enim vero genuinae justitiae, quae in ipso cernitur animo, efficaciam minus in exteriore hominum commercio, quam itidem in animo ponit Plato. Ut igitur e. c. res salubres sanitatem gignunt in corpore, ita actiones justae, quarum principium est animi justitia, internam justitiam, i. e. animi partes ita constituunt, ut secundum naturam imperent et pareant**). Quum igitur justae actiones justitiam efficiant, eandemque animo inserant, *δίκαια πράττειν* justa agere idem est, quod *δίκαια ποιεῖν* justa facere tamquam opus aliquod, utrumque vero idem atque *δικαιοσύνην ἐμποιεῖν* (sc. *τῇ ψυχῇ*)***).

---

*) Brandis l. l. p. 462; 505.

**) Civ. lib. IV. p. 444. C. D. — Morgenstern. l. l. p. 112.

***) Ita enim mihi differre videtur *τὸ δίκαια πράττειν* a *τῷ δίκαια ποιεῖν*, ut *δίκαια πράττειν* dicatur is, qui justa vel juste agit, non aliam ob causam, quam quia hoc justum est ita, ut *δίκαια* fere adverbii loco ponatur: *δίκαια ποιεῖν* vero is, qui justa efficit certo hoc efficiendi consilio. Utrumque eodem redit, quum etiam is, qui vere *δίκαια πράττων*

Quum justitia non solum justitiam, sed etiam ceteras virtutes cardinales, quae dicuntur, efficere et conservare dicatur a Platone*), ipsa cunctas virtutes complectatur necesse est; eam Plato animi sanitatem, pulcritudinem et bonam habitudinem appellat.

Justitiae vi et natura explicata, apparet, quid sit in singulari homine injustitia. Ut enim justitia in eo animi statu cernitur, in quo superiores ejus partes imperant, inferiores iis parent, omnes igitur secundum naturam dispositae sunt et agunt, ita injustitia in ea animi habitudine consistit, in qua inferiora ejus genera superiora impugnant in eorumque locum succedunt, ita ut totus animus turbetur. Jnde etiam consequitur, actiones proprie injustas eas esse, quae animum ita disponunt, ut ejus partes contra naturam imperent et pareant. Justitiae vero vinculo, quo omnes animi partes obstringuntur, soluto et injustitiae licentia immissa, una cum hac ipsa nascitur intemperantia, ignavia, insipientia deo, ut injustitia omnia vitia contineat ipsaque sit universa animi vitiositas (κακία), quemadmodum justitia est universalis ejus virtus.**)

b) Quae sit justitiae notio in perfectae civitatis statu conspicuae, quaeritur.

Homo talis, qualem supra descripsimus in justitia explicanda, secundum Platonem et per se perfectissimus est et summam assequitur felicitatem; propterea tamquam exemplar perfectionis et felicitatis omnibus hominibus imitandum proponitur***). Sed neque omnes homines neque

---

est, justitiam efficiat. Etiam hic observare licet, Platonem linguae usum, quo locutiones δίκαια vel ἄδικα ποιεῖν vel πράττειν τινά tritae erant, doctrinae suae accommodasse.

*) Civ. lib. IV. p. 433. B. 2) Civ. lib. IV. p. 444. E.

**) Civ. lib. IV. p. 444. B. sq.

***) Civ. lib. V. p. 472. C. Παραδείγματος ἄρα ἕνεκα, ἦν δ' ἐγώ, ἐζητοῦμεν αὐτό τε δικαιοσύνην οἷόν ἐστι, καὶ ἄνδρα τὸν τελέως δίκαιον κτλ.

ulli omnino sponte praestantiae hujus fiunt participes, et quidem duabus de causis; primum, quia minima hominum pars iis facultatibus a natura sunt instructi, quibus omnes virtutes universaque moralis, quae dicitur, perfectio nititur; deinde quamvis large sint praediti, illis non excultis, ad hanc non perveniunt. Itaque haud minus is, qui optime a natura est instructus, quam is, qui est destitutus, aliorum hominum auxilio indiget, ille, ut habeat, quorum opera innatam ibi indolem erudiat; hic, ut ab iis, qui natura et eruditione sunt praestantiores, vitae regulam accipiat iisque cum proprio commodo obtemperet. Hoc fieri non potest, nisi in perfecta societate quae est civitas. Civitas enim est, si externam ejus rationem respexeris, tamquam receptaculum, in quo singuli homines ita collocantur et disponuntur, ut et ipsi quam perfectissimi evadant et civitatis perfectionem pro parte virili adjuvent; et in quo tanta felicitate fruuntur, quanta iis frui per dignitatem propriam et totius civitatis salutem licet; sed est illa etiam educatrix, quae cives ad eam virtutis praestantiam perducit, quam sponte consequi non possunt.

Moralis igitur magis quam naturalis singulorum hominum indigentia secundum Platonis doctrinam in causa esse debet, cur in societatem civilem coeant. Apertum hoc fit ex totius operis ratione, in quo, ut jam monitum est, politice arctissime cum ethice coagmentatur. Nam quod Plato lib. II. p. 369. B. sq. ideo homines inter sese societatem inire dicit, quod singuli ad vitae necessitates comparandas sibi non sufficiant, hoc tantum ad civitatem naturalem pertinet, quam ibi fingere coepit; quam, quum post ei militum et rectorum ordinem superstruat, ipsam tamquam perfectae civitatis ordinem singularem eumque infimum esse apparet. Injuria igitur Aristoteles Platonem reprehendit, quasi hic omnem civitatem condi dicat non virtutis juvandae, sed naturae necessitatum comparanda-

rum causa (ὥς· τῶν ἀναγκαίων γε χάριν πᾶσαν πόλιν συνεστηκυῖαν, ἀλλ' ὀυ τοῦ καλοῦ μᾶλλον*).

Propterea philosophus in justitia explicanda ad praestantissimam civitatem progreditur, eam scilicet, quae natura et honestate proxime ad optimi hominis similitudinem accedit. Homines enim iisdem facultatibus instructi, quas a natura acceperunt, in civitatem introeunt, atque civitatis est, cuique locum et officium assignare, quod ejus indoli maxime conveniat**). Quum vero tres animi humani facultates sive genera, τὸ λογιστικὸν, τὸ θυμικὸν et τὸ ἐπιθυμητικὸν alia in aliis dominentur, cetera vero aut non exstent, aut minus polleant, tria hominum genera exsistunt, quae ab ipsis dominantibus generibus nomen ducunt; 1) philosophi, in quibus τὸ λογιστικὸν sive φιλόσοφον, 2) contentiosi, in quibus τὸ θυμικὸν, φιλονεικὸν seu φιλότιμον, 3) denique homines pecuniarum lucrique amantes, in quibus τὸ ἐπιθυμητικόν regnat, quod Plato etiam φιλοχρήματον seu φιλοκερδές apellat, quod pecuniis potissimum et lucro ignobiles cupiditates expleantur. Haec tria hominum genera in civitatem congregata tres constituunt ordines, qui singuli singulis animi partibus respondent. Ordines hi sunt:

1) Ordo rectorum seu gubernatorum civitatis; ἄρχοντες, παντελεῖς φύλακες, ordo philosophorum, qui respondet τῷ λογιστικῷ.

2) Ordo militum, ἐπίκουροι, qui respondet τῷ θυμικῷ.

---

*) Polit. lib. IV. c. 4. § 12. ed. Stahr. — V. Morgenstern. l. l. p. 165. adn. 11.

**) Civ. lib. IV. p. 435. E. Ἆρ' οὖν ἡμῖν, ἦν δ' ἐγώ, πολλὴ ἀνάγκη ὁμολογεῖν, ὅτι γε τὰ αὐτὰ ἐν ἑκάστῳ ἔνεστιν ἡμῶν εἴδη τε καὶ ἤθη ἅπερ ἐν τῇ πόλει; οὐ γάρ που ἄλλοθεν ἐκεῖσε ἀφῖκται. — Lib VIII. p. 544. D. Οἶσθ' οὖν, ἦν δ' ἐγώ, ὅτι καὶ ἀνθρώπων εἴδη τοσαῦτα ἀνάγκη τρόπων εἶ, ναί, ὅσαπερ καὶ πολιτειῶν, ἢ οἴει ἐκ δρυός ποθεν ἢ ἐκ πέτρας τὰς πολιτείας γίγνεσθαι, ἀλλ' οὐχὶ ἐκ τῶν ἐν ταῖς πόλεσιν κτλ. — Lib. IX. p. 581. B.

3) Ordo opificum seu artificum δημιουργοί, qui respondet τῷ ἐπιθυμητικῷ.

Ut singulae animi partes, ita quisque civitatis ordo propriam virtutem et proprium opus habet sibi assignatum, quod illa instructus optime exsequitur.

Virtus ordinis imperatorii est sapientia, qua praeditus totam civitatem custodit eique consulit; atque hoc ipsum custodire est ejus peculiare munus (lib. IV. p. 428 sq.). Militaris ordinis virtus est fortudido, qua instructus imperatorii consularisque ordinis consulta exsequitur, ei auxiliatur et pro tota civitate propugnat; atque hoc ipsum ejus munus est (lib. IV. p. 429). Opificum ordinis virtus est temperantia, quae quamvis etiam ad superiores ordines pertineat, tamen in civitatem infirmi potissimum ordinis gratia recepta est, quem sola civilis virtutis reddat participem. Munus opificum est principibus ordinibus obtemperare et ea, quae civitati ad vitam naturalem sustentandam necessaria sunt, comparare, quapropter etiam τροφεῖς et μισθοδόται appellantur.

Ex primi ordinis sapientia tota civitas vocatur sapiens, ex auxiliariorum fortitudine fortis, ex omnium, potissimum vero ex imi ordinis modestia et temperantia temperans. Justa denique civitas ex eo appellatur, quod unusquisque ordo propria praeditus virtute proprium idque unum peragit opus (τὰ αὑτοῦ πράττει), neque multa et aliena curat (πολυπραγμονεῖ, ἀλλοτριοπραγμονεῖ**).

In civitate igitur perfecte justa 1) Rectorum ordo civitati imperat ejusque saluti prospicit atque consulit; quod munus latissime patet. Quum enim civitatis salus a morali perfectione, haec vero ab apta naturalium facultatum dispositione et educatione pendeat, principibus potissimum curae esse debet, ut cives suo quisque ordine

---

*) Lib. IX. p. 580. D. sqq.

**) Lib. IV. p. 434 C.

digni sint adeo, ut si quaudo ex superiorum ordinum civibus pejores, ex inferiorum meliores nascantur, honorem naturae convenientem tribuentes (τὴν τῇ φύσει προσήκουσαν τιμὴν ἀποδιδόντες) illos ad inferiores detrudant, hos ad superiores extollant.*) Quinetiam eo iis est, progrediendum, ut singulis quoque infimi ordinis civibus unicuique id unum opus assignent, quod ejus naturae conveniat, ut quisque unum agens non multi sed unus existat, atque ita civitas tota una fiat non multae. Praeter aptam facultatum dispositionem et munerum distributionem id apprime principibus curandum esse praecipit Plato, ut ii, qui educatione digni sint, ad suum quisque officium explendum erudiantur.**) Jam cives apte in civitate collocati et eruditi boni sunt et justi, ita ut neque legibus scriptis neque tribunalibus magnopere indigeant; si vero lites oriuntur, eae custodibus dirimendae sunt, quibus imprimis curandum, „ut singuli neque usurpent aliena neque suis priventur (ὅπως ἂν ἕκαστοι μήτ᾽ ἔχωσι τὰ ἀλλότρια μήτε τῶν αὑτῶν στέρωνται)“.***) Ita civitatis principes sua agentes et pro sua parte justi faciunt, ut cives singuli et cuncta civitas justitiam colat, quippe quae nihil aliud sit, nisi „sui propriique possesio et actio“†).

---

*) Lib. III. p. 415.

**) ib. p. 323. D. sq.

***) Lib. IV. p. 433. E.

†) ibid. καὶ ταύτῃ ἄρα πῃ ἡ τοῦ οἰκείου τε καὶ ἑαυτοῦ ἕξις τε καὶ πρᾶξις δικαιοσύνη ἂν ὁμολογοῖτο. Stallbaum. ad h. l. verba ἡ τοῦ οἰκείου τε καὶ ἑαυτοῦ ἕξις τε καὶ πρᾶξις digerit et interpretatur ita: τὸ τὰ οἰκεῖα ἔχειν καὶ τὰ ἑαυτοῦ πράττειν. Perperam. Nihil enim obstat, quominus uterque nominativus ἕξις et πρᾶξις ad utrumque genitivum τοῦ οἰκείου et ἑαυτοῦ commode referatur. — Ogienski l. l. p. 4. locum hunc interpretatur: Gerechtigkeit ist das Sich=selbst=haben und Thun des Seinigen. At ἑαυτοῦ genitivus pendet a genitivo τοῦ, qui ante ἑαυτοῦ audiendus est. Interpretatio: Das Sich=selbst=haben praeterquam quod omnino justitiae notioni non convenit, ne illius quidem, quae in interiore animi habitudine cernitur, et, si forte idem est, quod Selbstbeherrschung, Selbstbe=

2) Auxiliarii primum ordinem adjuvant consulta ejus exsequentes et civitatem totam adversus externos et internos hostes defendunt.

3) Quaestuarii opificia, artificia cet. exercent, neque magistratuum munera usurpant.

Sed Plato justitiam civilem non solum in universis civitatis rationibus constituit, sed etiam eam ad singulos cujusvis aetatis et conditionis homines extendit et a „pueris quoque, mulieribus, servis, liberis" aliis postulat, ut eam colant suum quisque unus unum agentes.*)

Videmus igitur, justitiam a Platone pro fundamento omnis vitae socialis poni. Nam ejus civitas eatenus tantum constat, quatenus singuli sive ordines sive homines ejus sunt partes; hi vero eatenus tantum partes ejus esse possunt, quatenus sunt ejus membra.**) Ouae ut fieri civitatisque rationibus sese accommodare possint, circumscribendi sunt certis finibus. Haec vero circumscriptio, quae singulorum voluntatem et libertatem tollit, et nostrae cogitandi rationi magnopere repugnat, secundum Platonem tantum abest, ut eorum sit imminutio, ut ipsa unica sit ratio, qua ipsi ad honestatis felicitatisque fastigium ascendere possint. Civitas enim id tantum munus cuique assignat, quod ejus indoli convenit; et cives ea

---

wußtsein, multo magis in temperantiae notionem quadrat (v. infra p. 40. Charm. p. 164 D.); in nostrum vero locum multo minus cadere potest, quia hic ἕξις et πρᾶξις non internum hominis habitum et actionem, sed externam possessionem et operationem designant.

*) Lib. IV. p. 433. D.

**) Hegel. de philos. historia praelectt. vol. II. p. 283. Der Begriff der Gerechtigkeit ist die Grundlage, die Idee des Ganzen, welches in sich so organisch getheilt ist, daß jeder Theil nur als Moment im Ganzen ist und das Ganze durch ihn ist, so daß an diesem jene Stände oder Eigenschaften nur die Momente sind. Die Gerechtigkeit nur ist dies allgemeine, durchdringende, das Fürsichsein jedes Theils, den der Staat für sich gewähren läßt 2c.

tantum agunt, quae a civitate sibi habent assignata. Itaque civitas justa est, si singuli sua agunt; hi ver nonnisi in civitate sua agere vereque justi esse possunt. Vitae igitur privatae, quam nos vulgo dicimus quamque pro omnis etiam civilis praestantiae fonte habemus, Platonem nullum in civitate sua locum dare, eamque totam in publicam recipere apparet. Qua in re eo processit, ut etiam eam, quae in intimo animo versatur, vitam ad hujus similitudinem adornet, et in homine parvam civitatem constituat, quemadmodum sub civitatis specie magnum informat hominem. Quocirca in utroque eandem praebet speciem justitia.*)

Ex his apertum est, justitiam ad omnem vitam honestam pertinere et quum ceteris nitatur virtutibus et civilibus et privatis, revera ipsa universa virtus esse videtur. Quod quomodo sese habeat, ita tantum perspicere possumus, ut ipsam cum iis comparemus, quamque rationem inter eas posuerit Plato, exactius inquiramus.

Considerantibus nobis viam, quam Plato ingressus justitiae notionem demonstrat, quam describit formula *τὰ αὑτοῦ πράττειν*, et accuratius ita definit, ut eam esse dicat vim, qua ceterae virtutes efficiantur et conserventur, notio haec ita ostensa fit suspecta. Non enim statim eam explanare suscipit, sed ceteris virtutibus definitis conclusione demum eam efficit. Quod quidem instituit hunc in modum:

Civitatem, quam secundum naturam construit atque musica et gymnastica excolit**), perfecte bonam (*τελέως ἀγαθήν*), ideo sapientem, fortem, temperantem et justam esse dicit,**) ita ut perfectio et bonitas illa sit tamquam genus et virtus universalis, qua hae quattuor cardinales, quae dicuntur, virtutes, sapientia, fortitudo, temperantia

---

*) Lib. IV. p. 435. A. v. supra p. 9.

**) Lib. II. p. 368. B. — IV. p. 427. D. 2) Lib. IV. p. 437. E. Hoc etiam in hominem singularem valet.

et justitia quasi species contineantur. Verum enim vero civitas tum est perfecta, quum singuli ordines inter sese ipsi et ad universam civitatem rectam habent rationem. Hoc autem praestant sua quisque virtute, ordo consularis sapientia, ordo militaris fortitudine, ordo opificum temperantia. Si unaquaeque pars virtute instructa bona et perfecta est, tota civitas non potest non bona esse. Quum igitur sapientia, fortitudo et temperantia jam quodammodo universalem constituant virtutem et nilominus etiam justitia ad eam pertineat,*) non alia ei notio tribuenda est, nisi ut ceteras virtutes efficere et effectas conservare dicatur. Lib. IV. p. 433. B. *Δοκεῖ μοι, ἦν δ᾽ ἐγὼ τὸ ὑπόλοιπον ἐν τῇ πόλει ὧν ἐσκέμμεθα, σωφροσύνης καὶ ἀνδρείας καὶ φρονήσεως, τοῦτο εἶναι, ὃ πᾶσιν δύναμιν παρέσχεν, ὥστε ἐγγενέσθαι, καὶ ἐγγενομένοις γε σωτηρίαν παρέχειν, ἕωσπερ ἂν ἐνῇ.***)

Hic offendimus primo, quod philosophus noster universae bonitatis sive perfectionis notionem quattuor virtutibus cardinalibus confici contendit, quamvis ita rem sese

---

*) Haec non sunt verba, sed sententia Platonis. **) Hoc loco lectionem *ἐγγενομένοις*, pro qua Vind. F. *ἐγγενομένας*, Ven. B. (adscripto *γρ. ἐγγενομένοις*) Stob. Gesn. (cod. B.) editi ante Bekkerum *ἐγγενόμενά* habent (V. Schneider. ad. h. l.) optim. codd. auctoritate et sensus ratione postulante recentes interpretes receperunt, atque ita tantum, quam rationem Plato inter justitiam et ceteras virtutes posuerit, intelligi potest. Vulg. *ἐγγενόμενά* haud dubie factum est ex *ἐγγενομένοις* verborum structurae expediendae causa, quae sane propter infinit. *παρέχειν* est impedita Stallbaum. quidem eum a *δοκεῖ μοι* pendere neque quidquam offensionis habere censet, Astius vero in comm. *παρέχον* scribendum et in tert. ed *παρέχειν* delendum esse putat; quarum explicationum nulla probabilis. Quominus enim infinitivum hunc ad *δοκεῖ μοι* referamus, verba *τοῦτο εἶναι, ὃ* — et interposita *ὥστε ἐγγενέσθαι*, quominus eum deleamus, libri prohibent. Praestat eum ad proxima *ὥστε ἐγγενέσθαι* referre et structurae confusionem propter remotius ejus subjectum excusare. Etiam melius mutari videtur in *παρέχει*, quod codd. Vind. D. F. exhibent; ita alterum hoc justitiae definitionis membrum: *καὶ ἐγγενομένοις γε σωτηρίαν παρέχει* priori illi: *ὃ πᾶσιν ἐκείνοις τὴν δύναμιν παρέσχεν, ὥστε ἐγγενέσθαι* aptissime applicatur.

habere nusquam, neque in nostris libris neque in praecedentibus sermonibus demonstraverit. V. Schleiermacher. l. l. p. 20. Quomodo offensio haec leniatur, optime docet idem vir egregius, cujus verba huc pertinentia adscribere juvat l. l. p. 21.: Platon ist hierüber also nur zu rechtfertigen, wenn das Gebäude, so wie es hier aufgeführt ist, sich in sich selbst hält, und das ganze Verfahren, wodurch die Erklärungen aller dieser Tugenden gewonnen werden, durch unmittelbare Anschaulichkeit die Ueberzeugung des Lesers so in Anspruch nimmt, daß er zu seiner Befriedigung nichts weiter vermißt. Wie nun die Tugenden zuerst im Staate aufgesucht werden, beruht die Vollkommenheit desselben ganz auf dem richtigen Verhältniß der drei Klassen, in welche Sokrates die Bewohner getheilt hat; und wenn die vier Tugenden dieses leisten, daß durch dieselben jede dieser Klassen in das rechte Verhältniß zu den übrigen und zu dem Ganzen tritt, so kann sich freilich dem Anerkenntniß, daß der Staat vermittelst derselben ein guter sein müsse, niemand entziehen. Und bewundernswürdig muß wohl jeder die Kürze und Bündigkeit finden, mit welcher dieses gezeigt wird.

Quod si revera ita est, ceteris virtutibus explicatis, Plato mathematicam rationem adhibens sane concludere potest, id spatium, quod in universae bonitatis ambitu ab illis vacuum relinquatur, justitia expleri. At haec ipsa ratio mathematica in philosophica disquisitione per se non probabilis est; dubium enim fit, utrum justitiae notio, quae ita efficitur, verae justitiae notioni et ei, quae Platonis animo nullis vinculis logicis obstricto alioquin observabatur, plane congruat, an ab ea abhorreat et justo angustioribus aut latioribus circumscribatur terminis: Attamen non credibile est, quaestionem de justitia, praestantissima virtute, institutam interiore probabilitate carere et coactis tantum niti conclusiunculis. Qualis haec probabilitas et necessitas interna sit, mox ostendere conabimur.

Movetur etiam quaestio haec: Si tribus singulis virtutibus, sapientia, fortitudine, temperantia singula sive civitatis sive animi genera ita afficiuntur, ut suum quaeque officium explere possit, justitia vero sola hoc idem prae-

stat, nonne haec cunctas virtutes illas complectitur adeo, ut si civitas et homo sunt justi, sint etiam sapientes, fortes et temperantes, et contra si sapientia, fortitudo et temperantia iis insunt, justitiam quoque adesse consentaneum sit? Et tamen Plato et justitiae et reliquis virtutibus propriam significationem et efficaciam tribuit. Difficultates hae ipsa justitiae ceterarumque virtutum comparatione expedientur.

Justitia et reliquae virtutes in universum ita inter sese differunt, ut illa in actione, hae vero in habitudine consistant. Sapientia enim est scientia (ἐπιστήμη) eorum, quae singulis partibus et universae civitati vel animo utilia sint.*) Fortitudo est conservatio rectae legitimaeque opinionis, qua judicantur, quae sint terribilia et qualia (σωτηρία διὰ παντὸς δόξης ὀρθῆς τε καὶ νομίμου δεινῶν πέρι και μή)**). Temperantia est omnium partium concordia in unam sententiam convenientium, quam vel in civitate vel in unoquoque homine conveniat dominari (ὁμόνοια, ξυμφωνία, ὁμοδοξία).***) Justitia denique est omnium partium actio cujusque habitudini conveniens; est tamquam habitudinum eruptio in actionem atque omnium generum sonans concentus, ad quem ipsa sua quodque virtute, sapientia, fortitudine et temperantia tacite contemperata sunt. Nam etiam illa justitiae species, quae in animo cernitur, quamvis revera a statu immobili non differat — quum videlicet in universum interna animi actio ab ejus habitudine distincte discerni nequeat — differt tamen cogitatione.

Ut autem omnium partium actio, in qua justitia cernitur, plena et concinna, ut igitur justitia perfecta esse possit, tres illae virtutes, quae tamquam illius fundamentum sunt, cunctae et civitati et singulari homini insint

---

*) Lib. IV. p. 442. C. sq. ib. p. 428. D.

**) Lib. IV. p. 442. B. p. 429. C. p. 430. B.

***) Lib. IV. p. 430. E. p. 431. D.

necesse est, et ita quidem compositae sibique invicem aptatae, ut inter sese congruant et ut una id praestet, quod altera praestare non possit. Quocirca vinculo quodam opus est, quo omnes copulentur, et norma, ad quam componantur. Vinculum hoc et norma est ipsa suprema virtus, sapientia, quae reliquis omnibus subest virtutibus. Nam ut sapientia ipsa est scientia (*ἐπιστήμη*), ita fortitudo est opinio constans (*ὀρθῆς δόξης σωτηρία*), temperantia opinio consentiens (*ὁμοδοξία*). Multo minus justitia sapientia caret, ut quae sit quasi prima ejus pars et dux. Lib. IV. p. 443. E. — *ὀνομάζοντα δικαίαν μὲν καὶ καλὴν πρᾶξιν, ἣ ἂν ταύτην τὴν ἕξιν σώζῃ τε καὶ ξυναπεργάζηται, σοφίαν δὲ τὴν ἐπιστατοῦσαν ταύτῃ τῇ πράξει ἐπιστήμην, ἄδικον δὲ πρᾶξιν, ἣ ἂν ἀεὶ ταύτην λύῃ, ἀμαθίαν δὲ τὴν ταύτῃ αὖ ἐπιστατοῦσαν δόξαν.*

Itaque sapientia videri possit omnes virtutes continere adeo, ut omnino non plures variaeque virtutes, sed una eademque exsistat virtus, sapientia; id quod Socrates Platonicus in sermonibus praecedentibus contra sophistas contendit et demonstravit aliquatenus, quamquam non evicit. Quum vero animi civitatisque facultates, quibus modo singulis modo cunctis aptantur virtutes, sint diversae, etiam hae diversae sint necesse est, sed ita ut in diversitate unitatem non perdant. Quapropter virtutes ethicae, quas Aristoteles dicit, fortitudo scilicet, temperantia et justitia quodammodo ex duobus constant momentis, ex sapientia et naturali earum partium indole, ad quas pertinent; sed iis ita sibi invicem accommodatis, ut conjuncta nondum genuinam sapientiae praebeant speciem.

Sic fortitudo est recta legitimaque opinio *ὀρθὴ δόξα* (scil. a mente praescripta) et constantia, quarum altera ex scientia obscurata est, altera ex ira exculta, ita ut utraque conjuncta sit constans opinio recta vel rectae opinionis constantia seu conservatio. Temperantia nititur mutua omnium partium mansuetudine et lenitate, conjuncta illa cum consentiente judicio de ra-

tione, quae inter ipsas intercedere debeat, quamque imperare et quam obedire oporteat. In justitia actiones suae quaeque parti convenientes conjunctae sunt cum ἐπιστήμῃ, quae, ut cum Platone loquar, tamquam earum agmen ducit iisque praesidet. Simplex vero et pura sapientia nonnisi primae a Platone assignatur parti, ut cui maxime sit propinqua.

Quamvis igitur sapientia gravissima sit virtus adeo, ut ne ceterae quidem virtutes ea carere possint, sola tamen Platoni non sufficit ad hominem perficiendum, multo minus ad civitatis praestantiam, quandoquidem summa pars ad impellendum animum et ad imum ordinem moderandum indiget auxilio τοῦ θυμοῦ. Ira vero tum tantum menti obtemperat, quum vera fortitudine est instructa, quae est conservatio opinionis ab illa praescriptae. Jam quod ad animum attinet, Platoni omnem ejus perfectionem in sapientia et fortitudine ponere licuit, quum superiores partes iis affectae et ipsae bonae sint et cupiditates imperio suo obnoxias reddere possint. Atque hoc nostrae cogitandi rationi convenit,*) quin etiam secundum Platonem infimae partis servitium et liberum obsequium imperatorio generi praestandum parum a sese differunt (Lib. IV. p. 414 A). Sed quia animus constans ex partibus tam disparibus et inter sese non aptatis valde inconcinnus esset, et ita comparatus ne moralem quidem perfectionem assequeretur, quam Plato, homo graecus, sine pulchritudine et harmonia cogitare nequit, etiam infimam ejus partem quamvis non praestante virtute instructam, mitigatam certe et nobilioribus partibus accommodatam esse vult. Quod in animum, multo magis in civitatem valet, in qua multitudine ab omni virtute civili exclusa priorum ordinum principatus valde durus vel intolerabilis foret.*)

---

*) Schleiermacher, l. l. p. 28. cfr. etiam lib. VI. p. 499. E. 520. E., ubi Plato philosophis multitudinem non vi et contentionis studio, sed amicis admonitis et persuadendo conciliandam esse praecipit; lib. VIII.

Quocirca Plato inter virtutum praecipuarum numerum recipit temperentiam; per quam quum omnino partes sibi invicem concilientur et obligentur, superiores ad concessum sibi ab inferioribus imperium, inferiores ad liberum voluntariumque obsequium superioribus praestandum, neque infimum genus hujus sensus communis civilisque virtutis particeps fieri non potest. Atque hujusmodi temperantia distinguenda est a vulgari, quam Plato dicit (ἐγκρατεία, abstinentia), quae in eo cernitur, quod imperatorium genus in inferius per vim dominatur, hoc vero invitum ei servit. Loquitur de ea Plato lib. III. p. 389 D. Σωφροσύνης δὲ ὡς πλήθει οὐ τὰ τοιάδε μέγιστα, ἀρχόντων μὲν ὑπηκόους εἶναι, αὐτοὺς δὲ ἄρχοντας τῶν περὶ πότους καὶ ἀφροδίσια καὶ περὶ ἐδωδὰς ἡδονῶν; Ἔμοιγε δοκεῖ. — Lib. IV. p. 430. E. κόσμος πού τις, ἦν δ᾽ ἐγώ, ἡ σωφροσύνη ἐστὶ καὶ ἡδονῶν ἐγκράτεια, ὥς φασι. κρείττω δὴ αὑτοῦ λέγοντες οὐκ οἶδα ὅντινα τρόπον καὶ ἄλλα ἄττα τοιαῦτα ὥσπερ ἴχνη αὐτῆς λέγεται. Hoc temperantiae genere ima pars profecto a virtute excluditur, quapropter Plato illam ejus speciem huic praefert, et ubicunque in nostris libris de temperantia sermo est, illa intelligenda est.

Jam supremo genere sapientia, medio fortitudine instructo et omnibus temperantia consociatis, civitas et homo jure quodam perfecti dici possunt. Sed quum conditio haec non sponte fiat, neque facta constet, justitia accedat necesse est, quae, quum unicuique locum et munus assignet, quae ejus indoli conveniant, illas procreet et procreatas sustineat. Nam ut quisque unus fieri, ita propriam virtutem tum solum excolere potest, quum ad id sese applicat opus, ad quod potissimum natura est factus et quum id unum agere non desinit.

---

p. 547. C. ubi animadvertit, in depravata civitatis forma eos, qui in meliore a principibus tamquam liberi, amici et nutritores observati fuissent, loco servorum, ministrorum cet. haberi.

Nemo vicissim officio suo satisfacere potest, nisi virtute praeditus ingenio suo et huic ipsi officio consentanea. *Τὸ λογιστικόν* igitur munere suo fungi nequit, nisi sapiens neque *τὸ ἐπιθυμητικόν*, nisi temperans est. Itaque justitia est ceterarum virtutum effectrix et conservatrix; ceterae vero virtutes necessarium sunt fundamentum, cui justitia superstruitur, i. e. justitia ceteris virtutibus potestatem existendi et permanendi praebens sese ipsam gignit et sustentat; est igitur, ut jam significatum est, omnium partium actio, cujusque habitudini rectae, sapientiae, fortitudini, temperantiae accommodata et cujusque recta habitudo in actionem introducta. Quocirca Aristoteles, qui, quamquam alioquin in doctrina morali cum Platone discrepat, in ratione tamen inter justitiam atque reliquas virtutes constituenda cum eo consentit, eam *τῆς τελείας ἀρετῆς χρῆσιν* appellare non dubitat. Ethic. Nicom. lib. V. c. 1. §. 15. ed. Michelet.

Ita etiam posteriorum aevorum philosophi Platone et Aristotele auctoribus eam definierunt. Cic. de republ. III. c. 8. (Lactant. epit. c. 55.) „Plurimi quidem philosophorum sed maxime Plato et Aristoteles de justitia multa dixerunt asserentes et extollentes eam summa laude virtutem, quod suum cuique tribuat, quod aequitatem in omnibus servet, et quum ceterae virtutes quasi tacitae sint et intus inclusae, solam esse justitiam, quae nec sibi tantum conciliata sit, nec occulta, sed foras tota promineat.“

Quum ceterae virtutes etiam in actione retineantur et conserventur justitia, haec ipsa est earum complexio. Proprie enim justitia non est actio ipsa, sed actionis modus et ratio; quae quum alia esse non possit, quam ea, quae virtutibus illis constituitur, notione et substantia, *λόγῳ*, ut cum Aristotele loquar *), justitia et cunctae illae virtutes sunt idem, et per accidens tantum et ratione

---

*) Aristot. l. l. lib. V. c. 1. § 20. et Michelet. comment.

existendi, *τῷ εἶναι*, ut idem dicit Aristoteles, durch die Seinsweise, inter sese differunt, quum justitia videlicet in actu, sapientia autem, fortitudo et temperantia in habitudine conspicuae sint. Propterea justitia ipsa perfecta et universalis est virtus; est igitur et temperantia, qua omnium partium consensus et concinnitas in actione servatur, et fortitudo, quae animum impellit eique tenorem in cupiditatum turbine constantem praestat, et sapientia, quae omnium partium actionem moderatur eique, ut Plato dicit, praesidet.**)

Huic justitiae definitioni consentaneum est, Platonem etiam latius eum protendisse, ubi necessarium videretur. Nam hujus ambitus justitia ad hominem quidem perficiendum sufficit, ad civitatem vero omnibus ex partibus absolvendam non item, quum tertius ordo ad civile quidem officium suum explendum temperantia institutus sit, ad privata vero opera factitanda propria careat virtute. Convenit ei apprime diligentia et industria;***) nihilominus tamen Plato eam in civitatem suam non recipit, quum justitia idem praestet.

---

*) Aristot. l. l. lib. V. c. 1. § 15. *Αὕτη μὲν οὖν δικαιοσύνη ἀρετὴ μεν ἐστι τελεία, ἀλλ᾽ οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρὸς ἕτερον* (quod Aristoteli est *πρὸς ἕτερον*, Platoni est *πρᾶξις* sc. in hominum seu animi partium societate versans) *κτλ.* – Ibid. § 19. *Αὕτη μὲν οὖν δικαιοσύνη οὐ μέρος ἀρετῆς, ἀλλὰ ὅλη ἀρετὴ ἐστιν οὐδ᾽ ἡ ἐναντία ἀδικία μέρος κακίας, ἀλλ᾽ ὅλη κακία. Τί δὲ διαφέρει ἡ ἀρετὴ καὶ ἡ δικαιοσύνη αὕτη, δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων. ἔστι μὲν γὰρ ἡ αὐτή· τὸ δ᾽εἶναι, οὐ τὸ αὐτό. ἀλλ ᾗ μὲν πρὸς ἕτερον, δικαιοσύνη, ᾗ δὲ τοιάδε ἕξις ἁπλῶς, ἀρετή.*

**) Rixnerus (Handbuch der Gesch. der Philos. T. I. p. 198) justitiam e sapientia et fortitudine tantum constare, temperantiam vero illa demum effici existimat. Gignitur quidem temperantia justitia, sed eatenus, quatenus etiam sapientia et furtitudo ea nascuntur. Perfecta vero justitia in omnium partium consensu jam effecto versetur et omnibus omnino virtutibus nitatur necesse est. Injuria igitur Schleiermacherus l. l. p. 25. Platonem reprehendit, quod hic in definiendis quattuor virtutibus cardinalibus temperantiam justitiae necessario praemittendam esse censuerit.

***) Schleiermacher l. l. p. 24.

Si enim quisque id opus, ad quod natura potissimum aptus est, alienis rebus sese non implicans, unum continuo agit, fieri non potest, quin nemini injuriam inferens illud simul optime exerceat et perficiat atque ad suam civitatisque externam salutem augendam plurimum conferat. Deinde etiam consulto diligentiam, industriam et al. hujusmodi a virtutum numero exclusisse videtur Plato, quia magis ad divitias cumulandas et ad potentiam amplificandum, quam ad perfectionem moralem augendam valerent, quae et cujusvis hominis et civitatis primarium esset propositum ad eo, ut ne operariis quidem eam negligere liceret. Justitiae virtute inter opificum officinas recepta, etiam operationi alioquin sordidae honestatis imprimit signum.

Haec fere est justitiae notio, quam Ploto potissimum in lib. IV posteriore parte explicat; ea illustrata facilius erit indagatu:

B. Quae sit justitiae quaestionis ratio ad civitatis conditionem, ad custodum educationem vulgarem et dialecticam, ad alia instituta, quae Plato describit.

Plato justitiae vim et naturam in civitate describenda investigaturus hanc non producit statim omnibus numeris expletam et absolutam, sed ab ima conditione et simplicissima forma exorsus gradatim eam exstruit et perficit. Idem plane justitiae est progressus. Oriente enim civitate oritur simul justitia,*) quae eam continet et sustentat, quandoquidem nullam hominum societatem, ne latronum quidem coetum sine justitia qualicunque constare posse dicit Plato;**) forma vero ejus sese explicante justitia quoque ejus fit perfectior, ita ut civitas perfectissima etiam summa excellat justitia. Itaque Plato in

*) Lib. II. p. 369.

**) Lib. I. p. 351. C. sqq.

totius indagationis initio *) constituit civitatem origine et fine tenuissimam et vilissimam, et compositione simplicissimam. Gigni enim civitatem statuit ex mutua hominum indigentia ad primas vitae necessitates comparandas, quae sunt victus, domicilium, vestimentum. Quocirca civitas constare debet minimum ex agricola, fabro tignario, textore et coriario, quorum quisque uni operi deditus, quod supra necessitatem suam efficiat, cum ceteris communicet, et ea, quibus ad vitam degendam indigeat, ab iis accipiat. Atque hujusmodi civitatis perfectio et justitia in eo cernitur, quod quisque id tantum opificium exercet, ad quod natura maxime est aptus, et id unum et suo tempore curat et perficit, neque multa et aliena tractat. **) Quum rero negotia haec circa vitae necessitates comparandas versantia non sint simplicia sed ex pluribus composita, quae, quo recte gerantur, alia alios effectores requirunt, singula sunt dividenda et inter homines pro variis facultatibus distribuenda. Itaque civitas illa parva plures adsciscit cives, augeturque fabris ferrariis, pastoribus, mercatoribus, aliis. Sed quamvis amplificetur illa, nihilominus tamen est manca, quia cives minus vitae honestati, quum necessitatibus comparandis student adeo, ut his augendis dediti, quum interna vivendi regula careant, modum excedant et civitatem e simplici luxuriosam faciant. ***) Propterea Plato hujus civitatis justitiam ut in externa tantum occupatione et commercio conspicuam verae justitiae principium solum et formam quandam (ἀρχὴν καὶ τύπον τινὰ τῆς δικαιοσύνης) seu ejus simulacrum (εἴδωλόν τι τῆς δικαιοσύνης) esse dicit. †)

Jam militum seu custodum ordine civitati huic addito, justitia civilis fit perfectior. Nam in civitate hoc modo

*) Lib. II. p. 369. B. sqq.
**) Lib. II. p. 370. A, sqq. Lib. IV. p. 434 sq.
***) Lib. II. p. 373. A. sqq.
†) Lib. IV. p. 443. C. vide supra p. 49. sq.

aucta cives contentiosi et θυμῷ potissimum praediti reperiunt ordinem, qui hanc animi facultatem repraesentat, et opus naturae suae conveniens. Deinde custodibus demum in civitatem introductis apparet, illius civitatis naturalis opifices proprium constituere ordinem, quem pro natura et conditione sua illis obtemperare par et justum esse Plato docet.*)

Ex custodum numero eligendos esse praecipit perfectissimos, qui intelligentia et amore erga civitatem insignes ad ejus gubernacula accedant (Lib. III. p. 412. C. sqq.). Quo ordine civitati praeposito, omnia adsunt membra necessaria, quibus illius administratio nititur.

Consentaneum est, solam civium in ordines disposi-

---

*) Si talis justitiae explicationis progressio agnoscitur — atque agnoscenda esse videtur —, perspicuum est, quomodo intelligendus sit locus Lib. II. p. 372. E., ubi Socrates etiam luxuriosam civitatem considerans deprehensurum sese esse dicit, qua ratione justitia et injustitia civitatibus innascantur (σκοποῦντες γὰρ τοιαύτην (sc. τρυφῶσαν πόλιν) τάχ᾽ ἂν κατίδοιμεν τὴν δικαιοσύνην καὶ ἀδικίαν ὅπῃ ποτὲ ταῖς πόλεσιν ἐμφύονται). Si civitatem hanc luxuriosam solum consideramus, neque justitiam neque injustitiam in eo deprehendimus. Nam Socratem, quum justitiam investigaturus et civitatem magis magisque perfecturus sit, ad vitiosam civitatem descendere non probabile est, praesertim quum luxuriam post ex perfecta civitate sua exterminet. Neque eam eo consilio constituere videtur, ut injustitiam in ea investiget, quae est Van — Heusdii sententia (Init. philos. Plat. III. p. 59.). Nam si hoc sibi proposuisset, cives ejus curiosi alieni operis usurpatores esse deberent, quae ἀλλοτριοπραγμοσύνη et πολυπραγμοσύνη sane esset injustitia, quemadmodum sanae civitatis justitia est omnium civium οἰκειοπραγία. Neque ideo continuo civitas injusta dici potest, quia vitiosa est. Vitiositas haec tum demum injustitiae speciem induit, quum illa cum custodum ordinibus in unam civitatem consociata in luxuria et intemperantia perseverat et imperatorio generi adversatur. Itaque Socrates luxuriosam civitatem eo consilio informasse videtur, ut ostenderet, ad perfectam honestatem assequendam et colendam civitati naturalem conditionem quamvis felicem non sufficere, ut quae facile in mollitiem et luxuriam degenerare posset, sed opus esse et eruditione et forma magis artificiosa. Eadem manet ratio, si totam disquisitionem de sana et tumida civitate institutam cum Schleiermachero (l. l. p. 15.) ad sing. hominis animum refers.

tionem ad civitatem perficiendam Platoni non sufficere, sed educationem eorum illi adjungere. Jam quum custodes tantum educari velit, nulla tertii ordinis ratione habita, quo jure ab hoc ipso postulare possit, ut quamvis omnis eruditionis expers imperatorio generi voluntarium obsequium praestet, ut ejus consilia intelligat et sequatur, ut temperantiae et justitiae, civilis omnino virtutis particeps fiat, non perspicuum est. Et hanc ipsam ob inconstantiam Plato in reprehensionem incurrere possit, etiamsi a severitate et duritia, qua multitudinem tractat, discesseris. Explicandum vero hoc est inde, quod in civitate cum animo humano comparanda constans τὸ ἐπιθυμητικόν, quod in multitudine dominetur, educatione indignum, et τὸ λογιστικόν et τὸ θυμικόν, quibus dotibus custodes praediti esse debeant, idonea esse censet, quae erudiantur et excolantur. Hanc ipsam ob causam custodum educatio ob educatione cujusvis hominis nobilioribus facultatibus instructi non differt, i. e. educatio publica est simul privata, quemadmodum inter hominis perfectionem civilem atque moralem nullum est discrimen. Educatio enim nihil aliud spectat, nisi ut hominem ita afficiat et constituat, ut et ipse foris et quaeque ejus animi pars suum exsequi possit officium.*)

Educationis adjumenta sunt musica et gymnastica, quarum altera ad animum excolendum valet, altera proprie corpus corroborat, sed corpore corroborando etiam animum confirmat**). Musicae partes sunt oratio seu orationis argumentum, orationis genus, harmonia et numerus, ex quarum natura ac ratione apta est animorum conformatio. Quod ad primum genus attinet, coram pueris neque homines neque deos injustos et pravos narratione celebrandos esse praecipit Plato, ne a teneris jam ad eorum

*) Schleiermacher. l. l. p. 17. — Plat. Civ. lib. IV. p. 441. E. sqq.
**) Lib. III. p. 410.
***) Lib. III. p. 392.

exempla animos componant, neve malefactorum suorum excusationem inde repetant. Neque eas orationes pueris audiendas esse, quibus injustitia laudetur, quasi utilitates et felicitatem injuste facienti comparet; justitia vero vituperetur tamquam proprium malum et alienum bonum.

Quod ad orationis rationem attinet, tria ejus sunt genera, simplex, quo usus poeta ipse loquitur, imitans, quo alios loquentes inducit eorumque mores effingit et genus ex utroque mixtum; ex quibus nonnisi primum, simplex, in civitatem recipi vult, quum in ea suum quisque assignatum habeat munus, ad quod explendum ipse unus et simplex esse debeat*). In imitante genere nonnisi pauca et honesti quidem viri actiones et orationes imitari licet.**) Quapropter etiam custodes, quum patriae libertatis artifices esse et in suo tantum munere occupari debeant, ut ab aliis artificiis ita ab imitatione abstinere oportet; si vero imitantur, imitari decet, quae iis conveniunt, statim a pueritia, fortes scilicet, temperantes et al. hujusmodi.***)

Etiam reliquae musicae partes, harmonia et numerus ita comparatae esse debent, ut tum ad fortitudinem, propriam militum virtutem, tum ad temperantiam efficiendam valeant. Summum, quod omnibus his artibus consectandum est, est cogitatio bene pulchreque morata (εὐήθεια), quam animo ingeneratam sequuntur deinceps sermonis decor (εὐλογία), consonantia (εὐαρμοστία), numeri congruentia (εὐρυθμία) et venustas (εὐσχημοσύνη), quemadmodum numerus et harmonia ex oratione, oratio vero ex cogitandi ratione apta est.†)

Ad omnès has pulchras animi species informantur pueri recta oratione, harmonia, numero, quin etiam omnium

---

*) Lib. II. p. 397. D.
**) Lib. III. p. 397.
***) ib. p. 405. C.
†) ib. p. 400 D.

artificiorum visibilium proportione et concinnitate. Nam non solum poetarum et musicorum, sed omnium omnino artificum opera honesti speciem praebere debent adeo, ut tota civitas sit tamquam amplum paedagogium, in quo puerorum animis temperantiae, fortitudinis et omnis honestatis imagines imprimantur. Quanti momenti haec omnia ad justitiam excolendam sint, Plato diserte dicit lib. III. p. 400 E, Ἆρ' οὖν, οὐ πανταχοῦ ταῦτα διωκτέα τοῖς νέοις, εἰ μέλλουσι τὸ αὑτῶν πράττειν; Διωκτέα μὲν οὖν.

Ut musica simplicitate in animo temperantiam, ita gymnastica modico victu et exercitatione in corpore sanitatem gignit. Atque hac ratione homo corpore quoque fit idoneus, qui officio suo civili satisfaciat. Omnes enim homines, inquit Plato, in civitate suum quisque assignatum sibi habent munus, cui per totum vitae tempus dediti esse et nihil ei otii aegrotantes detrahere debent, siquidem eo neglecto neque sibi prosunt, neque ad civilis societatis utilitates quidquam conferunt.*)

Multo vero magis animi gratia gymnastica exercenda est. Quum enim animus tam arcte cum corpore conjunctus sit, ut ipsius conditio a corporis affectione pendeat, gymnasticam, quum corpus sanet et firmet, hoc ipso etiam animum constantem reddere et irascibilem quidem ejus partem excolere, consentaneum est. Quum vero sola adhibita gymnastica animum justo audaciorem et asperiorem, et vicissim musica molliorem et remissiorem faciat ambas has artes inter sese conjungi vult philosophus, quandoquidem hac tantum ratione non solum τὸ λογιστικόν (φιλομαθές, πρᾶον) et τὸ θυμικὸν excolatur, sed etiam totus animus in concordiam redigatur.

Ex his igitur apertum est, disputationem de civitate condenda ejusque custodibus educandis susceptam arctissime cum justitiae quaestione cohaerere, adeo ut hac ipsa Plato sibi viam muniat ad justitiae notionem in ci-

*) Lib. III. p. 406 C. E. ibid. p. 407. A. C. sq.

vitate et singulari homine demonstrandam. Magis jam ambiguum est, an eadem sit ratio disputationis de bonorum, mulierum et liberorum communione institutae. Quod ita sese habere, negat Schleiermacherus l. l. p. 31. „Dieser ganze vierte Haupttheil knüpft sich an die Forderung des Adeimantos, daß Sokrates — zur Vollendung des als Vorbild aufgestellten Staates, auch die eigenthümliche Erziehung derer, welche darin zur Regierung und Vertheidigung bestimmt sind, darstellen, und sich zugleich über die Geschlechtsverbindungen, aus welchen sie hervorgehn, näher als vorher geschehen, erklären möge; und zwar fordert er dies als etwas höchst wichtiges, nicht etwa für die Frage von der Gerechtigkeit, sondern für die richtige Verfassung des Staates, so daß also gegen jede etwanige gekünstelte Anwendnng des in diesen Büchern (sc. V.—VI.) verhandelten auf jene Hauptfrage von der Gerechtigkeit in der einzelnen Seele und von dem Verhältniß des gerechten Lebens zur Glückseligkeit schon hindurch protestirt wird.

Contra haec, quod jam saepius est dictum, nunc monere sufficiat, Platonem justitiam non solum in optimi hominis moribus sed etiam in perfectae civitatis specie quaerere, atque ut perfectum hominem et civitatem fingat justitiae explicandae causa, ita justitiae notionem ad utrumque describendum adhibere. Revera justitiae notio, quae e tota priorum quattuor librorum disputatione quasi summa prodit, tamquam exemplar proponitur, ad quod in sequentibus (usque ad octavum) hominis civitatisque species omnibus numeris expletur et absolvitur; qua in perfectionis progressione fieri non potest, quin etiam justitia in clariore collocetur luce. Hoc innuit ipse Socrates lib. V p. 472. B. et totius sermonis ratio confirmat. Nam quod ad omnium rerum communionem attinet, Plato etiam externam custodum conditionem ita constitui vult, ut ipsi per eam toti in officiis suis explendis occupari et ab aliis irebus abstinere possint, qua in re ipsa omnis cernitur justitiae vis. Quocirca Plato decernit, ea quae iis ad vitam sustentandam sint necessaria, a tertii ordinis hominibus esse suppeditanda omninoque iis res domesticas

et familiares habere non licere, alioqnin enim foret ut iis operam navantes pro custodibus agricolae et opifices essent; atque divitias et potentiam adepti tyranni evaderent loco eorum, qui civibus auxilio essent.*) Hac ratione ductus non dubitat, omnem vitam familiarem inter custodes tollere, et mulierum liberorumque communionem statuere; id quod ab omnibus fere, qui hac de re judicium fecerunt, gravi crimini ei datum est. Atque quamvis institutiones hae per se detestabiles sint, quum familia sublata ne civitas quidem, quae ea tamquam fundamento suo nititur, constare possit, et in discordiam magis incidat, a qua Plato eam communione illa vindicari vult, quam unitatem et virtutis praestantiam assequatur; nihilo minus tamen non omnis excusatio ei deerit, si praecipuae legis civilis constantiam etiam in his institutionibus conspicuam respexeris, ut scilicet omnes cives, imprimis vero custodes, a quibus totius civitatis salus pendeat, id potissimum agant, ut munus suum obeant, et eatenus tantum felicitatem consectentur, quatenus per civiles rationes liceat. Quin etiam ipse confitetur, sese constantiae ratione ductum custodes in tali collocare conditione. Lib. V. p. 451. l. sq. Ἀνδρώποις γὰρ φῦσι καὶ παιδευθεῖσι ὡς ἡμεῖς διήλθομεν, κατ᾽ ἐμὴν δόξαν οὐκ ἐστ᾽ ἄλλη ὀρθὴ παίδων τε καὶ γυναικῶν κτῆσις τε καὶ χρεία ἢ κατ᾽ ἐκείνην τὴν ὁρμὴν ἰοῦσιν, ἥνπερ τὸ πρῶτον ὡρμήσαμεν. ἐπεχειρήσαμεν δέ που ὡς ἀγέλης φύλακας τοὺς ἄνδρας καθιστάναι τῷ λόγῳ κτλ. Vide etiam lib. IV. p. 420. B. sq. His consentanea sunt, quae Plato hic de mulierum natura et officiis et de liberorum educatione disserit. Quod ad mulierum naturam attinet, imbecilliores quidem eas viris esse statuit, sed omnino iisdem facultatibus praeditas, quando quidem etiam animalium sexus indole inter sese non differant; qua in re non reputavit, quo perfectior vita animalis sit, eo distinctiorem esse duorum sexuum

*) Lib. III. in fine.

differentiam, distinctissimam igitur in hominum genere.*) Quod quum ita sit, quum igitur etiam feminae existant sapientiae studiosae et magnanimae ac proinde idoneae, quae civitatem custodiant, eligendas tales esse praecipit noster, mucica et gymnastica educandas, in custodum ordinem recipiendas, cum viris natura paribus conjungendas, eademque opera iis esse imponenda.**) Liberos vero omnibus communes usque a prima pueritia parentum negotiis, etiam bellis gerendis interesse debere, ut eorum opera cernant et discant, quae adulti ipsi sint factitaturi; quorum eos, qui in bello ignaves sese praebuerint, inter agricolas et opifices detrudi jubet.***)

Etiam in ea disputationis parte, quae quaestionem de mulierum liberorumque communione excipit, sed neutiquam eam attingit longissime vero a justitiae indagatione discedere videtur, apprime ad hanc Platonem spectare arbitror. Rationis explicationem dico, quam a civitatis suae graecae militibus in Graecos et alias gentes observari vult. Omnes enim Graecos natura cognatos et amicos sibi, a ceteris vero gentibus genere diversis naturalibus inimicitiis disjunctos esse statuit. Propterea Graecis cum barbaris tantum bella gerere licere; populares vero pro hostibus habere, in servitutem redigere et alienigenis servorum numero vendere, injustum et nefas esse dicit.†) Quam praestantiam Graecis tribuit, non patriae amore et praejudicata opinione ductus, sed quia revera eos inter ceteras nationes ingenio et naturalibus dotibus eminere persuasum sibi habuit adeo, ut apud eos principem animi facultatem, τὸ φιλομαθές, apud Thraces vero et omnino gentes septentrionales τὸ θυμοειδές, apud na-

*) Schleiermacher. l. l. p. 33. sq.

**) Lib. V. p. 457. A.

***) ibid. p. 466. E. p. 468. A.

†) Lib. V. p. 469. D.

tiones australes veluti apud Phoenices τὸ ἐπιθυμητικόν seu φιλοχρήματον regnare contendat.*)

Disputatione de omnium rerum communione absoluta, Glauco quaestionem movet, qua ratione civitas hucusque**) descripta existere et in hominum usum truduci possit; ita ut hac ex re quispiam colligere possit, Platonem eam jam pro perfectissima haberi velle, et ea, quae in sequentibus usque ad lib. VIII. tractet, nihildum ad absolvendam eam conferre. Quod secus sese habere docet ipsa sequentis sermonis ratio et locus lib. VIII. p. 543. C., ubi Glauco civitatem et hominem, quales in proximis libris conspiciantur, pulchriores esse dicit illis, qui in libr. II. III. IV. et Vti parte priore descripti sint (nam parte hac continetur nonnisi plenior adumbratio eorum, quae in tertii libri fine significantur). Ad quaestionem enim de civitatis illius realitate, quae dicitur, ortam, ad quam Socrates ita respondet, ut philosophos ad rerumpublicarum gubernacula accedere jubeat, adjungitur alia, quae et apte ei applicatur et, si deesset, in tota disputatione magnopere desideraretur, quaestio de philosophorum natura et educatione, quae omnes disquisitiones dialecticas hic institutas complectitur, sive illae ad cognitionis subjectum sive ad ejus objectum pertinent.

Quod ad philosophi naturam attinet, praeditus ille esse debet, inquit Plato, quum ceterarum virtutum tum potissimum sapientiae amore et constantis rerum essentiae cognoscendae facultate. Nam haec peculiaris philosophi est virtus, et innata divinae animi parti, menti, quae numquam vim suam perdit, ipsa est divina et aeterna, quod contra reliquae virtutes ethicae generatis partibus adhaerentes corporalibus sunt similes et consuetudine (ἔθεσι) demum et exercitatione comparantur.***)

---

*) Lib IV. p. 435. E. sq. G. Ast. comment. ad h. l.

**) Lib. V. p. 471. E. sq

***) Lib. VII. p. 518 D. sq.

Quocirca vulgaris illa, de qua lib. II. et III. explicatur, educatio ad mentem excolendam non sufficit. Nam gymnastica incrementum et decrementum corporis spectans circa res generatus tantummodo versatur, musica vero magis ad componendum animum pulchreque conformandum, quam ad imbuendum eum scientia valet. *) Quapropter Plato philosophicam naturam praeterea educari jubet arithmetica, geometria, astronomia al., non ita quidem, ut in disciplinis his, quae ultimam rationem extra se positam habeant, acquiescat, sed ita, ut iis pro suppositionibus utatur, quibus ad veram philosophiam, ad ideas, ad summum omnium rerum principium ascendat.**) In idearum conversatione et contemplatione quum versatur philosophus ingenio suo indulgens quodammodo justus dici potest.***) Hae vero exercitationes dialecticae minus propter ipsas et cognoscendi studio, quam vitae publicae instituendae causa suscipiendae sunt, cujus praestantia quum omnis in justitia cernatur, justitiae potissimum idea, et summum bonum cognoscendum est, cujus participatione, quum ipsum omnis cognitionis et veritatis sit fons, omnia justa et honesta fiunt bona, vera et utilia.†) Itaque quia quisque in civitate locum suum tenere debeat, philosophis aliquamdiu in idearum contemplatione commoratis ad rerum regimen descendendum esse dicit Plato, ut ad ideas ipsius justi, honesti, temperantis et aliorum hujusmodi, quas in regione illa conspexerint, civitatem et singulorum hominum mores cujusque indoli convenienter conforment et moderentur.††)

---

*) Lib. VII. p. 521. E. sq.

**) ibid p. 533.

***) Cic. de offic. Lib. I. c. 9.

†) Lib. VII. p. 517. B. sq. Lib. VI. p. 504. sq. 504. sq.

††) Lib. VI. p. 501. B. Hoc loco *πρὸς ἐκεῖνο αὖ τὸ ἐν τοῖς ἀνθρώποις* recte scriptum exhibent Par. A D. K. Vat. Θ. Ven. II. Vind. Aug. Vat. m. r. et sex Flor.; sic etiam Ficinus legisse videtur et legunt Bek-

Hac ratione in disputatione de philosophis educandis instituta conjungitur simul dialectica doctrina cum politica et morali; id quod non solum commode fit, sed etiam ad exactam civitatis et hominis perfecti adumbrationem plane est necessarium. Omne enim jus refertur ad internam hominum moralitatem, hujus vero summum principium, sive eam in sensu morali (sittl. Gefühl) sive in morali conscientia (sittl. Bewußtsein) ponis, ultra hominem positum est. Sensus enim moralis, quem in maxima hominum parte exquisitioris eruditionis et culturae experte deprehendimus, continuo refertur ad Deum et nonnisi ab eo omnis cogitandi agendique rationis approbationem repetit (Religio). Conscientia moralis intercedente cogitatione ad legem et ordinem quendam universalem refertur, qui a summo principio constitutus omnes res complectitur et obstringit (Philosophia). Propterea sapientia illa, in qua Socrates Xenophonteus omnem virtutem ponit quamque definit celeberrimo illo: *γνῶθι σαυτόν* ad perfectam honestatem creandam non sufficit, quum missis

---

kerus, Astius in tert. Schleiermacherus et Stallbaumius, post *ἀνθρώποις* intercidentes. Vulgata lectio *πρὸς ἐκεῖνο αὖ, ὃ ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐμποιοῖεν* ineptum reddit sensum Eam enim retinentes cogitare cogeremur aut de ipsa justi, pulchri et aliorum idea, quae quum jam sit primum, quod philosophi hic respiciunt, non potest esse alterum, aut de ejus imagine, quae quum informanda demum sit, nondum respici potest; nam id, quod philosophis in civitate vel hominibus quasi in tabula rasa efficiendum est, aliud esse nequit, nisi illa aut haec. Alterum illud non est *τὸ ἐν τοῖς ἀνθρώποις δίκαιον*, ut Stallbaum. existimat, sed hominum natura, opposita illa justi ideae, ad cujus exemplum ipsa tamquam rudis indigestaque moles est constituenda; atque hanc ipsam Plato hic universe dicit *ἐκεῖνο τὸ ἐν τοῖς ἀνθρώποις*, quum in praecedentibus significantius eam describat verbis *ἤθη ἀνθρώπων* (mores) et in sequentibus v. *ἐπιτηδεύματα* (studia). Quum vero verbum *ἐμποιοῖεν* cum antecedentibus non cohaereat, Astius pro eo *καὶ ποιοῖεν* legendum, Schleiermacherus *τε* ante *ξυμμιγνύντες* inserendum, Stallbaumius *ἀποβλέποιεν* in *ἀποβλέποντες* mutandum arbitratur. Quarum emendationum haec a Stallbaum. facta optima esse videtur.

omnibus rebus metaphysicis nonnisi ad hominis mores spectet. Quin etiam ipsa sui ipsius cognitio, quae quidem ad solum hominem pertineat, cogitari nequit. Quicunque enim sese perfecte cognoscit, cognoscit etiam ea, quibuscum animus ejus conjunctus est, et vicissim his non perceptis recte sese cognoscere non potest. Itaque etiam Plato animum humanum cum aeterna rerum essentia summa parte sua cognatum esse statuens omnis vitae honestae regulam inde repetit.

Videmus igitur, Platonem neque in hac operis parte a justitiae illustratione discessisse. Quamvis enim omnino justitia in universa civitatis hominisque perfecti descriptione commodius spectari quam in singulis ejus partibus demonstrari et explicari possit, nihilominus tamen etiam partes hae ad symmetriam et harmoniam illam referuntur, qua singulorum hominum mores civitatisque formam coercet philosophus et in qua omnem justitiam ponit; quocirca ubique ejus vestigia sparsa deprehendimus; atque haec ipsa indicasse et collegisse sufficiat.

De his hactenus; quae praeterea in duobus capitibus explicare mihi proposui, in aliud differo tempus.

THESES.

1) Ex poesi ingenium populi melius quam ex historia cognoscitur.

2) Deus apud Platonem non idem est atque boni idea.

3) Athenienses injuria ob Socratem damnatum reprehenduntur.

4) Stallbaumius structuram verborum Plat. Civ. l. VI. p. 504. B. *Ἐἐγομέν που — προσάψαι* non perspexit.

5) Plat. Civ. l. VI. p. 507. E. *Οὐ σμικρᾷ ἄρα ἰδέᾳ* legendum et *τιμιωτέρῳ ζυγῷ* horum verborum appositionem esse puto.

6) Sophocl. Piloct. 176. 186. ed. Wunder. versus choriambicos esse puto cum Boeckhio legens: *ἔχων βαρεῖ. ἅ δ'.*

7) Non verum est, quod dicit Tasso apud Göthium in fabula cognomine a. IV. sc. II.

Thöricht ist's
In allen Stücken billig sein; es heißt
Sein eigen Selbst zerstören.

Vita.

Joannes Guilelmus Jahns, fidei evangelicae addictus, natus sum in circuli Gnesnensis pago, qui Neudorf nuncupatur, anno hujus seculi vicesimo tertio d. XXV. m. Junii patre Christophoro, fundi possessore, quem jam ante hos quattuor annos morte mihi ereptum lugeo, matre Catharina e gente Jahnsiana. Litterarum elementa partim a parentibus partim in ludis litterariis Tremesnae didici non sine intermissione. Quintum decimum jam annum agens in progymnasium Tremesnense transii, quod anno post ad gymnasii gradum elatum tunc clar. Meissnero Directore vigebat, nunc clar. Dziadekii auspiciis floret, ubi in infimum ordinem receptus per septem annos usus sum fructuosa dilectissimorum praeceptorum institutione et doctrina, qui omnes pariter de me meriti semper me gratum habebunt. Maturitatis testimonio impetrato in Universitatem litterarum Viadrinam me contuli philologiae et philosophiae potissimum operam daturus. Itaque anno hujus saeculi quarto mense Novembri a viro clar. Pohlio Rectore Magnifico inter cives academicos receptus et a viro clar. Schneidero Decano philosophorum ordini adscriptus per quinquennium scholis interfui philologicis VV. Cll. Schneideri, Ambroschii, Haasii: philosophicis V. Cl. Branissii; francogallicis V. Cl. Rüdigeri, anglicis V. Cl. Behschii, aliis; e quibus uberrimum fructum me percepisse grato cum animo profiteor. Maximas vero gratias ago semperque habebo VV. Cll. Branissio et Haasio, qui me eximia doctrina sua privatim quoque instituerunt benevolentissime, et VV. Cll. Schneidero et Ambroschio, quibus directoribus seminarii regii philologici exercitationibus per tria fere semestria interesse mihi contigit. —

Ex residuis typographi erratis imprimis corrigenda sunt haec:

P. 1. v. 8.	pro quiedem	lege	quidem.
— 1. v. 13.	— adbritati	—	arbitrati.
— 3. v. 10.	— industriu	—	industria.
— 3. not.	— p. sq.	—	p. 59.
— 5. v. 1.	— fait	—	fuit.
— 5. v. 13.	— consummutae	—	consummatae.
— 6. v. 11.	— hubere	—	habere.
— 6 v. 13.	— hab	—	hac.
— 7. v. 2.	— suppedidantur	—	suppeditantur.
— 9 not.	— p. 71.	—	37.
— 10. v. 9.	— quaestionem	—	quaestionum.
— 11. v. 5.	— desendere	—	descendere.
— 11 v. 15.	— scicilet	—	scilicet.
— 11. a fine v. 15.	— colendum	—	colendam.
— 13. v. 2.	— δικαισούνη	—	δικαιοσύνη.
— 15. v. 17.	— commemoratione	—	c commemoratio.
— 21. v. 1.	— mones	—	omnes.
— 22. not.	— consideruns	—	considerans.
— 23. v. 2.	— explandam	—	explanandam.
— 23. a fine v. 3.	— totas	—	totus.
— 25 not.	— p. 17.	—	p. 9.
— 28. a fine v. 11.	— deo	—	adeo.
— 33. not. v. 2.	dele		vero.
— 36. a fine v. 2.	pro quaeque	—	quodque.
— 42. v. 12.	pro eum	—	eam.
— 46. v. 2.	ante adjungere		insere eum.
— 53. v. 4.	pro generatus	lege	generatas.